





Marantæ
De Theria
1576











LIBRI DVO, DE THERIACA ET MITHRIDATIO,

A BARTHOLOMAEO MARANTA, PHIlosopho & Medico Venusino excellentissimo, Italico sermone scripti: in quibus velut in tabula quapiam, vera hæc Antidota componendi ratio, breuiter ob oculos ponitur, omniaq; Simplicia (quorum in hisce Antidotis conficiendis vsus est) solertissimè examinantur.

NVNC PRIMVM OPERA D. IOACHIMI CAMERARII, Medici Norimbergensis, Latina ciuitate donati. Omnibus Artis medicæ Professoribus, præcipuè verò Pharmacopolis, apprimè vtiles ac necessarij.

INDICEM EORVM, QVAE HIC TRA*ctantur, copiosum, ad calcem secundi libri reiecimus.*

Cum inuictiß: Cæsareæ Maiestatis Gratia & Priuilegio.

FRANC. HAER. CHRI. EGEN. 1576.



CLARISSIMIS VIRIS, AC DOCTISSIMIS MEDICIS REIPVB. AVgustanæ, dominis & amicis,

S. OBS. S.



VM ante biennium liber Italicus de Theriaca & Mithridatio summa arte & singulari studio à Bartholomæo Maranta excellentissimo Philosopho & Medico conscriptus, ad me missus esset ex Italia, & propter Autorem ipsum mihi olim amicissimum, & ob argumentum præclarum atque

admodum vtile, illum statim non solùm auidè perlegi, sed etiam cum aliis versionem ipsius meam, qua potui, & per alias occupationes licuit, diligentia communicandam esse putaui: Eumq́; laborem qualemcunq; plurimis gratum acceptumq́; fore omninò mihi persuasi. Haud scio enim an in hoc genere scripto rum, qualia equidem tam veterа quàm recentia extant multa, quippiam ante hoc tempus accuratius, atq; omnibus suis numeris, vt dicitur, absolutius extiterit, quod quidem planè ita esse, librum paulò diligentius inspicienti sic manifestum fiet, vt de illo

illo vlteriore aliqua mea commendatione opus esse neutiquam videatur. Cùm, secundum Ciceronem, non opus sit verbis, vbi rerum testimonia assunt. Habebunt profectò hîc Medici, quod procul dubio illos delectare plurimùm poterit: Habebunt quoque inprimis Pharmacopolæ, & Medicamentorũ seduli atq; industrij compositores (quorũ gratia hi commentarij potissimùm conscripti sunt) quod tanquam regulam & normam Lesbiam, in hisce duobus præstantissimis Medicamentis, Theriaca & Mithridatio, & eorum exemplo in alijs quoq; similibus Antido-

tis componendis, rectè & vtiliter sequi poßint. In quibus tam necessarijs præceptis, si qui paulò negligentius, vel etiam non adeò bona fide versari (quemadmodum superioribus temporibus cum magno hominum damno sæpenumero factitatum fuisse scimus) non verentur, quantum non solùm ægrotantium saluti, sed Medicorum etiam peritißimorum existimationi incommodent, quis non videt? Et certè, si Hippoc. noster 1. de ratione victus in morbis acutis, textu 31. in Ptisana quoq; paranda tantam diligētiam requirat, vt eam, nisi exquisita prorsus fiat eius præparatio,

ratio, sæpe etiam noxiam & detrimẽtosam esse dicat: quid statuendũ erit de istis præcipuis & summis remedijs? de quibus etiã Galenus lib. 1. de Antidotis affirmat, earum, nonnunquã vno tantùm simplici Medicamẽto perperam adhibito, totam compositionem immutari vel labefactari: quod eo in loco multis exemplis probat. Magnæ igitur sunt meritò gratiæ habendæ doctißimo Marantæ, & diligentißimo Imperato (quorum vtriusq; dum Neapoli fui, doctrinam & multarum rerum cognitionem excellentem admiratus fui, & humanitatem & beneuolentiam in me expertus

ſum ſingularem) qui nullis laboribus, neq; ſumtibus parcentes, eò tandem feliciter rem perduxere, vt in hiſce Antidotis, ex tot ſimplicibus quibus conſtant, non amplius hodie quàm ſex ἀντιβαλλόμενα *Medicamēta requirantur, cùm ante centum annos vix totidem vera & legitima in illis haberentur. Neq; dubium apud me eſt vllum, Imperatum Pharmacopolam Neapolitanum exercitatiſsimum (Maranta enim cum magno dolore doctorum virorum in viuis eſſe deſijt) & alios illi ſimiles breui adhuc ad minorem numerum iſta* ἀντιβαλλόμενα *redacturos, vel etiam planè omnia*

mnia ablaturos esse. Atq; hinc etiam quæstio illa à doctissimis viris in vtramq; partem variè agitata & disputata, Vtrum tanquam legitima & omnibus notis cum veterum descriptione conueniente, Theriaca nostra, vel potius illius loco alijs recentioribus, vt magis compertis & efficacioribus remedijs vti debeamus? facilè explicari atque dissolui, meo quidem iudicio, poterit. Si enim conferamus elaborationem & compositionem vtriusq; Antidoti, qualis nimirum retrò aliquot annis elapsis ab hominibus plerunq; imperitis, & rerum naturalium cognitione

exigua imbutis, & quod magis est (vtinamq; hoc nostro seculo quoq; amplius nõ frequens esset,) lucro potius quàm cõmodis aliorũ dedi tis, tanquã ex dissolutis scopis male concinnata fuit: & contrà, qua ratione hodie tam in alijs regionibus, quàm ipsa quoque Germania, à viris in sua arte peritis, ac probis, quibus potius hominum salus, quàm pleonexia cordi esse solet, sedulò & fideliter paretur: statim vnicuique manifestum fiet, hæc posteriora proximè ad veterum imitationem accedentia Medicamenta, ambabus, vt dicitur, manibus accipienda: priora verò tanquam inutilia & nul-

& nullius momenti reijcienda esse. Sed cùm de his in ipso libro sæpius copiosè & grauiter disseratur, longiorem illorũ disputationem hoc loco instituere necesse nõ est. Hãc verò versionis meæ qualemcũq; opellam, vobis clariss. & doctissimis viris dedicandam esse putaui, duab. potissimùm de causis. Quarum prima & quidem præcipua est, quòd singularem humanitatẽ, & in me propẽsam admodũ voluntatẽ vestrã, qua me aliquoties apud vos vel transeuntem vel per aliquot dies commorantem complecti dignati fuistis, satis prædicare nequeam, ideoq́; memoria gratissimi animi studia & of-

& officia vestra plurima semper prosequi debeo, & propter excellentem doctrinam, & vestram humanitatem eximiam, ea qua par est, fide & diligentia vos colere perpetuò, non intermittam. Cumq́; nihil hoc quidem tempore sese mihi ad declarandum euidentius hoc meum studium offerret, saltem hac mea exigua προσφωνήσει animum meum vestri nominis studiosissimum aliqua ex parte testatum vobis reddere volui. Quod quidem meum factum vos in bonam partem accepturos, & in eadem beneuolentia in posterum quoque erga me perstituros esse, omninò confido. Altera

verò

verò causa fuit, recordatio præclari admodum atq; inprimis necessarij in Repub. vestra inclyta instituti, in qua liberali stipendio publico, Medicus aliquis peculiariter conducitur, qui omnibus compositionibus, quæ alicuius momenti sunt, parandis apud Pharmacopœos ipse aßit, earũq; administrationem, vel vt Hippoc. loquitur, διαχειρισμὸν sua doctrina & diligẽtia gubernet atq; regat. Quam quidem tam egregiam & nunquam satis laudatam prouinciam clarißimus vir & eximius Medicus, vester Collega D. Adolphus Occo, amicus meus obseruandus, feliciter & cum

cum magna utilitate aliorum iamdudum obire solet. Eumq́ non dubito, quin huius libri versionem latinam diligenter sit Pharmacopœis vestratibus commendaturus. Optandum autem esset profectò summopere, ut in alijs locis similiter ita, ut apud vos inprimis prudentissimè fieri solet, hæc per quam necessaria res quoque instituere-tur, & magis serio, eiusmodi negocia ad artem Medicam pro-mouēdam pertinentia curarent ij qui maximè hoc facere debe-rent. Ne cum comico Aristoph. in Pluto dici necesse esset: τίς δῆτ' ἰατρός ἐστὶ νῦν ἐν τῇ πόλει, οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς οὐδ' ἐν ἐστί,

οὐθ'

οὐδ' ἡ τέχνη: *At de his querelas instituere nimis longum foret: & fortaßis alibi fiet rectius. Vos clarißimos & doctißimos viros diu feliciter viuere, & benè valere, & erga me pristinum amorem & beneuolentiam vestram conseruare opto & cupio.*

Norimb. Calend. Ianuarij,

CIↃ. IↃ. LXXVI.



FERDINANDO IMPERATO PHARMACOPOEO NEApolitano, *rerum Simplicium in Arte medica peritißimo,*

S.



AEPIVS à me efflagitasti plurimùm, vt commentarios aliquos de Theriaca & Mithridatio diligenter tua causa conscriberem. Quem sanè in me laborem, vt qui semper gratificari tibi inprimis cupierim, nõ inuitus quidem suscepi: quanquam facilè conijcere potuerim, non hæc abs te facta esse, quòd magnopere in his duobus Antidotis, nostris admonitionibus indigeas, vt qui iam aliquoties cum aliorum nõ mediocri admiratione illa Medicamenta composueris: sed potius vt tanquam in tabula quapiam omnia præcepta de illis tradita copiosè tam à Galeno quàm alijs celeberrimis Medicis breuiter ante oculos ponerentur. Quapropter quicquid temporis

alijs

alijs grauissimis meis occupationibus detrahere licuit, id omne huc conferre volui, vt tuæ potissimùm petitioni satisfacerem. Atque vix huic operi supremam manum imposueram, tum doctissimus Ioannes Antonius Pisanus, Regni Neapolitani Protophysicus (vt hoc tempore vocant) dignissimus, orat, instat, & mandat, vt propter aliorum vtilitatem in publicum hæc omninò edere vellem. Cuius summi viri autoritas, quamuis apud me, sicuti omnes sciunt, tanti sit, vt nunquam illi repugnare deceat, nihilo tamen minus hac in parte non putaui illi assentiendum esse, existimans, cùm exigua nominis mei fama posse publicari omnibus eum librum, quem ad priuatum solummodò vsum minus fortassis accuratè conscripseram. Tandem verò post multam disceptationem super hanc rem, quemadmodum aliàs semper facere solet, ipse superiores partes obtinuit. Cùm itaque consentaneum fuisset, vt liber illi quoque dedicare-


tur præ alijs, & vt præcipuo patrono commendaretur: &, tanquam patres facere ſolent, qui filias ſuas cariſsimas maritorum fidei tantùm committunt, ſic quoque omnem ego defenſionem huius mei ſcripti ipſius humeris imponerem, planè mihi perſuadens, quòd propter ipſius patrocinium nemo illud calumniari auſurus eſſet: (nam ſi vnicam ſolummodo drachmam ex alterutra Antidoto illis præberet, facilè omnem venenatam rabiem ex corpore extirparet,) Attamen ex altera parte, qua ratione vel Piſano, vel alteri cuipiam haſce lucubrationes donare poſſum, cùm ita dubius ſim, an meum vel potius tuum hoc opus ſit perhibendum? Nam quid aliud in hoc libro tractatur, quàm illud quod inter Antidoti vtriuſque compoſitionem præparandam à te factitatum obſeruauerim? Nec hîc aliud diſcrimen inter nos reperio, quàm inter Architectum & Cementarium, nam quantò ille hoc eſt præſtantior, tantò maiorem tu quo-

que

que partem in hac re tibi vendicare meritò potes, adeò vt verear ne ſub meo nomine publicando hoc opus, tandem illud tibi, veluti furto ablatum cogar reſtituere. Quare vt mihi alijsque ſatisfieret, hanc ſolam inuenire potui viam, vt librum hunc non iam, amplius veluti meum ſed tanquam tuum, vt eum quemadmodum aliquam rem tuam propriam defendere tibi neceſſe ſit, tibi dedicarem. Nec tamen propterea nobis deerit Archiatri D. Piſani patrocinium, imò vos ambos rogatos velim, vt, ſicuti fuiſtis mihi autores, vt hoſce commentarios ederem, ita quoque defenſores illorum vos præbeatis contra peruerſitatem calumniatorum. Quod ſi à veſtra humanitate, vt ſperamus, impetrauerimus, non dubitamus quin non ſolùm ad doctos Pharmacopœos, ſed etiam Medicos, vtiles & boni futuri ſint. Nihil autem iam dicam de tuis laudibus, cùm non tantùm Neapolis, ſed reliqua Italia vniuerſa

illas optimè nouerit, & pauci dies abeant, in quibus non à diuersissimis locis literas habeas doctissimorum virorum, qui de materia Medica sententiam tuam tanquam hominis hac in parte peritissimi, cognoscere cupiunt. Vnde etiam præter ætatem inter præcipuos octo viros in vestra arte celebres Magistratus noster te euexit, quem sanè honorem multis senibus contingere non potuisse scimus. Quæ tui nominis fama clarissima, cùm omnibus sit cognita, nihil de his præterea addam: solum hoc petens, vt hunc exiguum laborem meum tuo rogatu potissimùm susceptum, qualiscunque quidem sit, beneuolo animo accipias, & amorem pristinum tuum erga me, vt facis, conserues. Vale. Neapoli, Anno Christi 1570. 30. Octob.

Bartholomæus Maranta tuus.



PROOEMIVM AVTORIS.



SEMPER *has duas Antidotos Theriacam & Mithridatium consueui comparare duob. fortiss. Heroibus, quales olim fuerunt Hercules & Theseus, quorum vterq; nihil aliud sibi proposuit nec egit, quàm vt Mundum à multis rebus humano generi perniciosis purgarent. Quid verò aliud hæc duo celeberrima Antidota præstant, quàm vt homines à venenatarum bestiarum sæuitia, & venenorum malitia, ac tyrannide morborum liberent, ac sanitatem illis conseruent? Verè etiam similia sunt duobus potentißimis regibus, qui sicuti potentia & virtute multa millia hominum antecellun, & diuersiis populis imperant, ita hæc superant alia Medicamenta à varijs celeberrimisq; Medicis excogitata. Et certè opus fuit animo regio, qui inuentionem operis tam expectati aggreßi sunt. Cùm Medici qui vsq; ad tempora Mithridatis regis vixerunt, sibi persuadere minimè ausi fuerint, reperiri posse arte quadam tale quippiam, quod non vt humanum sed fermè diuinum præsidium omnibus morbis feliciter posset opponi. Quare rex ille tam illustris & magnanimus propter inuentam singulari successu*

hanc compositionem, maiorem gloriam sibi comparauit, quàm ex quouis alio prælio, quod suo tempore victor obtinuit. Cui etiam tantopere placuit, quasi inde præsagiens suam immortalem memoriam, vt suo imposito nomine celebrari voluerit. Atq; ideò, ratione nobilitatis Theriacam præcedit, quanquam hæc artificio & efficacitate illud superet. Secutus enim est eum Andromachus Medicus præstantiss. qui posteà ex preceptis suæ artis ad eundem finem respiciens, Antidotum illud multum auxit, meliusq; reddidit, & mutato nomine Theriacam appellauit. Satis itaq; laudare eos nequeo, qui summa diligentia has duas Antidotos omnibus necessarijs reb. diligenter perpensis componere studuerunt. Inprimis verò diligentiam & industriam Ferdinandi Imperati ingeniosiss. Pharmacopæi, qui vnus ex illis octo habetur, qui Neapoli hanc artem gubernant, commendandam esse putaui. Cui cùm nihil aliud sit propositum quàm hac in parte prodesse non solùm huic vrbi, sed toti regno Neapolitano, & alijs insuper remotiorib. locis, tandem ab illo multis argumentis persuasus, constitui de vtroq; Medicamento aliquid commentari, proferendo ea omnia in medium quæ ad ipsorum perfectionem necessaria esse videbuntur. Quid verò præstiterim, & quàm feliciter tam illi qui ad hoc me impulit quàm cæteris hæc mea legentibus satisfecerim, iudicabunt alij. Cùm autem mihi potius cum Artis pharmacopææ peritis viris quàm Medicis

ipsis

ipsis sermo futurus sit, conatus sum tā in verbis quàm rebus ipsis esse quantum fieri potest perspicuus, & me ad ipsorum captum accommodare studui. Interdum quidem verbosior fui, vt omnia plenius intelligerētur: cùm in eiusmodi disputationibus perspicuitas magis expetatur quàm breuitas: quæ non solùm rudib. sed doctis quoq; obscuritatem sæpe affert, vnde hoc meum consilium nemo debet reprehendere. Placuit quoque multa loca ex Galeno, vt verba sonant, adducere: vbi cunq; vlterior scilicet explicatio non requirebatur. Contra verò obscuriora eiusdem autoris, eo vsq; donec manifesta fierent expositione mea prosequi volui. In paucis nonnullis à Galeni sententia discessi, non quod mea natura, vt multi faciunt, delectetur præceptoribus contradicere, sed potius vt egregia ingenia excitentur ad nouas & accuratas contemplationes, relinquendo liberum vniuscuiusq; iudicium ad approbandum vel reijciendum. Quod si alijs hac mea opera aliquid vtilitatis attulero, mihi hoc erit pergratum. Sin minus, voluntas mea quæ semper cupijt ea quæ hominib. vsui & honori essent præstare, saltem boni consulatur.

DE THERIACA BARTHOLOMEI MARANTAE VENVSINI, LIBER PRIMVS.

De nomine Theriacæ.

CAP. I.



VOCATVR hæc celebris & omnibus nota compoſitio, THERIACA, quòd efficaciſſ. ſit remedium contra fera animalia, quæ Græci communi vocabulo nominarunt Θηρία. At cùm maior pars venenotſarum beſtiarum ſint Serpentes, apud Galenum legitur, cauſam eſſe huius denominationis, quòd morſib. omniũ ſerpentum medeatur. Sed præter ſerpentes alia quoque ſunt animalia fera & venenata, vt canis rabioſus, ſpecies araneorum, phalangium dictum, Scolopendra, paſtinaca marina, mus araneus, & ſimilia. Quamuis etiam Galenus dicat, quòd aliam ob cauſam hoc nomen Theriacæ ſit impoſitum, quod inter alia multa Medicamenta vipera,

ra, quæ ſpecies eſt feræ beſtiæ, admiſceatur, manifeſtum tamen eſt hoc illum dicere vt potius Etymologiam Theriacæ confirmet, quàm quòd reuera ita ſit. Nam ipſe docet, quo pacto ante tempora Andromachi ſenioris in vſu erat hæc cõpoſitio abſq; viperis, aitq́; fuiſſe efficax remedium cõtra omnia animalia quorũ morſus aliquid venenati haberet, ideoq́; vocatum eſſe Theriacam. Poſteà cùm Andromacho in mentẽ veniſſet, ſi viperæ adiungerentur, fore eam efficaciorem, & experientia hoc comprobaſſet, ſemper poſtea viperæ impoſitæ fuerunt. Quanquam itaq; (vt multi exiſtimant) originem ſumſerit ex Mithridatio, tamen cùm maior eius vis eſſet depræhenſa, illud ita obſcurauit, vt eo poſthabito, paſsim Theriaca vſurparetur. Vnde apparet caſu potiùs hanc Etymologiam acceſſiſſe, cùm ipſius compoſitio & denominatio, vt dictum eſt, longè fuerit antiquior. Præterea ſatis eſſet hæc ratio nominis longè petita, à θηρίων, cùm vna tantùm ſpecies accipiatur, vnde potius Echidnia dici debuiſſet id eſt, viperina, quia Græci viperam ἔχιδναν vocant. Atq; ideò multæ aliæ compoſitiones Theriacæ nomen apud veteres habuerunt, quòd nimirum

contra venena, quæ à morsibus serpentum fiunt, vtiles sint. Sed in hac sola iam reliqua mansit appellatio per Antonomiam, cùm maiori artificio & cura quàm aliæ omnes fuerit composita. Et ptoptereà Dioscor. in 6. libro, cap. 24. sermonem quem instituit de bestijs venenum eiaculantibus vocat Theriacum, & alterum de veneficijs, id est, venenis, quæ incautis in potu vel cibo ingeruntur, Alexipharmacum. Vnde non est necesse, vt similes compositiones, quæ nomẽ Theriacæ sortiuntur, valeant contra omnes morsus bestiarum venenosarum, sed satis est vt vni solùm speciei opponantur, cùm veteres olim hoc generale vocabulum imposuerint ratione serpentum, siue omnium simul, siue nonnullorum, seu vnius tantùm. Et ob hanc similitudinem fortasse voluit Galenus, hanc Theriacam ita fuisse appellatam, quia in se continebat vnam tantùm speciem serpentis. Sed consuetudo istorum temporum respexit ad facultatem & virtutem potiùs, quàm ad ea simplicia quæ illam conficiunt. Ptoptereà Antipater Theriacam vocauit illud antidotum, quod solùm valet ad morsus aspidis, & describitur à Galeno 2. de Antidotis, cap. 10. in quo loco &

aliæ duæ ſunt antidoti Elij Gallij, eiuſdem cognominis: quæ promittunt ſanationem morſus Scorpionis, & omnis venenati animalis, itemq; alia antidota eiuſdem nominis in eodem loco. Poterit itaq; hæc noſtra antidotus vocari Theriaca & Alexipharmacum, quòd non minùs valeat in Veneficijs, quàm in morſib. venenatarum beſtiarum. Verùm tamen obtinuit nomen Theriacæ, quòd beſtiarum venena pluris ſint quodammodo momenti, quàm alia quæ non ex animalibus oriuntur. Ideoq; ſatis inepte noſtro tempore & à quibuſdam Medicis Neapolitanis, & pharmacopæis, Vipera nominatur Tirus, credentes cùm Theriaca ſit dicta à θηρίων, quòd ita propriè vocari poſsit Vipera, & quod à græca voce hoc vocabulum ſit deductum, in quo, vt ſuperius dictum fuit, decipiuntur: Nam Vipera in græco vocatur ἔχις, mas, & fœmina ἔχίδνη & alterum vocabulum potius à barbaris ſcriptoribus eſt deſumtum, qui ſine vlteriore conſideratione ita ſolent nominare. Vocatur hæc compoſitio quoq; Antidotus Theriaca: Nam propriè Antidoti ſunt omnes iſtæ compoſitiones, quæ per os ſumtæ expellunt ex corpore humano venena, vel illud ab eo præſeruant: quan-

quam postea Medici magis generaliter transtulerint ad eas compositiones, quorum scopus est, vt corrigant morbos corporis, qui oriuntur à causis interioribus.

RATIO QVARE tantus numerus simplicium ad Theriacam accipiatur.

CAP. II.

Sed nonparum mirantur aliqui, quòd ex tanta copia simplicium Theriaca componatur. Hocque multis Medicis quoque dubitationem attulit, cùm in ore omnium sit vulgare dictum: Quod perfici potest perfectè à paucis, sine ratione ad id plura accipiuntur. Quare cùm ad venena validè pellenda compositio non tam magna, (quales multæ apud celebres Medicos reperiuntur) excogitari potuisset, videtur potius hoc inuentum esse superfluæ curiositatis, vel potius ostentationis, quàm alicuius necessitatis quòd tam numerosam Theriacæ compositio-

poſitionem inſtituit. Sed reſponderi poteſt: dum veteres conſiderauerunt, nullam rem eſſe difficiliorem, quàm cauere ſibi à ſerpentibus & venenis, hominesque ſæpenumero iam propter hoc vel illud moriantur, neque poſſent hæc pericula mortis alio modo vel effugi vel euitari, voluerunt vt hac Antidoto ad ſimiles caſus extremos, in quos vel propter morſus beſtiarum, vel venena, incidiſſent in certiſsimum periculum vitæ, haberent aliquid quo illud ſubito à ſe repellerent, & abſque periculo euaderent. Sed quia natura & temperamenta hominum ita ſunt diuerſa, vt multa ſint remedia, quæ vni alicui manifeſtè proſint, alium verò planè nihil iuuent, ſed potius noceant, voluerunt illi hac multitudine Medicamentorum conſulere omnibus naturis & proprietatibus corporis humani, vt ſi vno quopiam modo contra venenum nequeant iuuare, hoc faciat alio vel etiam pluribus. Et ſic hæc copia effecit eam magis ſecuram & luculentiorem, nec periculum fuit, quod in aliqua re deficeret. Hancque ob cauſam Theriaca ſingulare eſt Alexiterium omnium venenorum, in ſingulis naturis & temperamentis hominũ. Quòd ſi aliquando accidat vt non iuuet, hoc ſo-

lùm est imputandum malæ compositioni ipsius, quæ oritur ab ignorantia & ignauia Medicorum vel pharmacopæorum. Quæ verò de diuersitate temperamentorum humanorũ dicuntur, plenius cõfirmantur in 3. lib. Methodi nostrę. Mouit insuper primũ autorē huius compositionis Theriacæ, vt multa simplicia in ea accumularet, varietas venenorũ, nam etsi vnũ simplex sanat morsum viperæ, non tamen conueniet in morsu Dryini vel aspidis. Itemq; sunt quæ contra morsum canis rabidi prosunt, nihil autem iuuant illos, qui à Scorpione aut alio animale fero sunt icti. Eadem ratio est de venenis, quæ per os sumuntur. Cùm manifestum sit, si vnum simplex curet Cantharides epotos, tamen non conueniat in illis qui deuorauerint Ephemerum, Colchicum, Aconitum, Opium, vel Gypsum, &c. & illud quod vtiliter datur ei, qui lithargirum deglutijt, parum prodest qui fortè Cerussam, aut Agaricum nigrum, aut simile quippiam ingesserit. Ad faciendum itaque medicamentum quod idoneum esset contra omnia genera venenorum, miscuerũt quoq; cũcta genera simpliciũ, quæ cõtra illa vsurpãtur. Altera deinde fuit causa, vt hac ratiõe scilicet ad alia genera mor-

borum

borum quoq; vtilis esset, nõ solùm ad venena: Cumq; in paucis medicamentis facultas ista, quæ respiciat infinita genera morborum includi non posset, opus fuit tot & tam varia imponere, quæ possent tam amplæ promissioni satisfacere. Vnde non parum admirari vnà cum Galeno debemus istius ingenium, qui primus studuit tam varia medicamenta in hoc Antidoto commiscere. Idque eo maiorem admirationem meretur, quòd non temerè illa miscuerit, sed diligentiss. habita consideratione & maturo & bono iudicio adhibito, vt nullũ planè in eo sit simplex, quod si mutetur, auferatur, aut in quantitate varietur, si non vniuersam, saltem aliquam partem compositionis labefactet. Hinc etiam accidit, quòd olim Imperatores (nam ipsi potiss. habebãt commoditatem, vt ipsis à Medicis celebrioribus quanta fieri posset diligentia pararetur) obseruarunt admirãdos illius effectus: nec cõpertũ fuit quempiã illis temporib. mortuũ esse, qui ictus vel morsus etiã ab mortifero & exitiosiss. serpéte statim Theriacã assumserit, quod Gal. etiã cap. 2. de Theriaca affirmat. Quæ facultas eius cùm non minus in præcauendo, q̃ curando appareret, factũ est, insuper vt qui-

cunq;

cunq; prius illã bibiſſet, & paulò poſt à ſerpente læſus fuiſſet, nullũ ſymptoma veneni ſentiret. Quod ſæpenumero à principib.& alijs iudicib. in illis, qui ad vltimũ ſuppliciũ fuerunt condemnati, certa experientia fuit obſeruatũ. Atq; à Medicis quoq;, qui hanc commoditatem explorandi eã non potuerunt habere, in varijs animalibus idem depræhenſum eſt, accipientes præſertim gallos gallinaceos extra domos enutritos (vt eſſent ſicciores temperaturæ) quos ſerpentibus obijcere ſolebant, vbi ſemper illi, quibus Theriaca data fuit, manſerunt ſuperſtites, alij verò quibus non fuerat exhibita, ſubito extinguebantur. Quod ſi hodie iſti effectus in iſta Theriaca, quæ in officinis venditur, non depræhendantur, non facilè iudicare ſit, quare hoc fiat, niſi ab illis qui ingenio præditi ſunt haud vulgari. Quod ego in progreſſu harum diſputationum ita planum faciam vnicuique, vt etiam digitis tangi poſsit, cumque propoſiturus ſim verum & debitum artificium pręparandi hoc Antidotum, confido me illi amiſſas vires propter negligẽtiam Medicorum & Pharmocopæorum, ita eſſe redditurum, vt rurſum tam efficax reipſa, qualis fuit apud veteres Imperatores & Medicos eſſe incipiat.

QVARE

QVARE VIPERÆ & non aliæ ſpecies ſerpentum ad Theriacam accipiantur.

CAP. III.



AM vt ea quæ in medium protulimus planè intelligi poſſint, cauſam indicabo, quare viperæ & non aliæ ſerpentes ad eam conficiendam eligãtur: quo intellecto, facilè quoque de alijs erit iudicium. Nam nimis prolixum foret, velle diſſerere quare ſingula eiuſmodi ſimplicia & non alia aſſumerentur. Dicendum itaque primo eſt, in quem finem ſerpentes ad compoſita Medicamenta accipiantur, Propriè autem in cauſa eſt natura omnium rerum, quæ res per ſimilitudinem libenter coniunguntur, & quaſi inſtinctu naturali ſeſe mutuo appetunt. Cùm itaque venenum eſt ingreſſum corpus humanum, vt poſſet ab eo loco, vbi iam ſe firmauit, aut paulò ſe firmabit, dimoueri, exiſtimarunt Medici rationales, ſi aliud venenum intra

corpus

corpus præberent, quod illud facilè moueretur, cùm simile appeteret. Sed quia illa de loco motio non satis est ad conseruandum hominem, ideò tam varia addiderunt illi veneno Alexeteria, vt si ad alterũ iam intra corpus sumtum perueniret, hoc posteà domaretur & superaretur, atque etiam extra corpus expelleretur: quòd si Alexeterium aliquod solùm adhiberetur, ad magis interiora loca venenum repelleret, nimirum contrarium fugiens, & ideò priusquam vis Antidoti necessaria eo perueniret, homo extingueretur. Sed quia periculosum esset dare venenum intra corpus ad expellendum aliud venenum, nam facilè posset accidere, vt dum vnum conaremur eijcere, duo ibi permanerent, ideò prospectum fuit, vt carnes viperinæ sine noxa intra corpus sumi possent, eas scilicet præparando coctione tanta diligentia, de qua posteà dicetur: & corrigendo insuper tam multis Alexiterijs. At quemadmodum Galenus in lib. de Theriaca, 8. cap. dicit, voluit Andromachus potius eligere viperas quàm aliud animal venenatum, propterea quod hæ respectu aliarum serpentum habent facultatem minus exitialem. Quæ posteà etiam propter præparationem

rationem & correctionem quasi planè obliteratur, cuius rei multa exempla proponi possunt. Nã Basiliscus serpens est tam vehementis veneni, quòd tantùm videntes eũ, vel è longo audiẽtes sibilum eius, celeritate admirabili interficiat. Imò dicitur quodcũq; animal etiam mortuam illã serpentẽ attingat omnib. modis necare. Dryinus. i. quercinus, quia ad radices quercuum viuit, serpens tam venenata est, vt pedes eorum, qui ipsum calcant, excoriet, & crura faciat intumescere, nec vllus Medicus sine periculo excoriationis manuum in ipso quoque ista queat curare. Sed ne sim longior in exemplis recitandis, manifestum est, quòd maior pars sit multò venenosior, & citius occidat, quàm faciant viperæ. Quòd si aliquæ ex illis ad Theriacam assumerentur, credibile esset, nulla præparatione, aut copia aliorum medicamentorum potuisse; ita earum perniciosam facultatem retundi, quin aliquid relinqueretur, quod vehementer corpori humano obesset, cùm etiam inter tangendum & tractandũ ipsas, illis qui pararent Theriacam plurimùm damni afferre possent. Quemadmodum igitur ad hanc rem non sine magna causa vipera reliquis est prælata, ita quoque sentiendum

tiendum

tiendum est de alijs vniuersis simplicibus. Nec puto opus esse, vt in singulis hoc demonstremus, sed satis erit ea exponere, quæ ad captum pharmacopæorum sufficere videbuntur. Quod si fortasse vlterius progrediemur, fiet hoc propter illos pharmacopæos, qui doctrina præditi sciunt se explicare ex ijs difficultatib. quæ in hac professione incidunt, quales ego in Italia multos nostris temporibus noui, inter quos primo loco semper nominare soleo Ferdinandum Imperatum Neapolitanum, cuius precibus impulsus potiss. hos Commentarios conscribere cepi. Sed primùm ipsam compositionem exponamus.

COMPOSITIO *Theriacæ.*

CAP. IIII.



VARIAE sunt à diuersis Medicis compositiones descriptæ, sed cùm Andromachus senior autor fuerit primus, vt viperæ admiscerentur, Medicus certè suorum temporum & ratione & experientia summus, qui pro Nerone Imperatore

peratore sæpius illam pararit, & feliciter vsurpauerit, præterea quòd versibus sit descripta, vbi propter numeros magis integra seruatur proportio, postremò quòd Galenus eam descriptionem alijs omnib. prætulerit, mihi quoq; videtur (idq; etiam alijs horum temporum Medicis præstantiorib. placuit) quòd eam debeamus vsurpare, atque ideo meritò ridendi sunt aliqui Pharmacopæi & Medici, quòd quasdam compositiones à quibusdam Barbaris desumtas accipiant, in quibus plures sunt errores quàm verba. Describit itaq; eã Galenus ex sententia Andromachi versibus elegiacis, quam nos ita in prosam orationem transtulimus.

I.

Accipe Trociscorum de Scylla, drach. xlviij. id est, vnc. vj.

II.

Trociscorum de vipera.
de Hedychroo.
Piperis longi.
Opij. Singulorum dr. xxiiij. id est, vnc. iij.

III.

Rosarum rubearum purgatar.
Iridis.

Succi Glycyrrhizæ.
Seminis Napi dulcis.
Opobalſami.
Cinamomi.
Agarici. Singulorũ dr. xij. id eſt,
vnc. I. ß.
IIII.
Myrrhæ.
Coſti.
Croci.
Caſsiæ.
Nardi indici.
Schœnanthi.
Piperis nigri.
Thuris pellucidi.
Dictamni Cretici.
Rhapontici.
Stœchados.
Marrubij viridis.
Petroſelini.
Calamenthi.
Terebinthinæ.
Zingiberis. Singulorũ dr. vj.
V.
Quinquefolij.
Polij Montani.
Chamæpyteos.
Nardi Celtici.

Amomi.
Styracis.
Mei.
Chamædryos.
Phu Pontici.
Terræ Lemniæ.
Folij Malabatri.
Chalcitidis vſtæ.
Gentianæ.
Succi Hypociſtidis.
Carpobalſami.
Aniſi.
Seſelis.
Cardamomi.
Fœniculi.
Acaciæ.
Thlaſpi.
Hyperici.
Ammios. Singulorũ dr. 4. id eſt, VI. (vnc. ß.
Sagapeni.
Caſtorei.
Ariſtolochiæ.
Bituminis.
Sem. Dauci.
Opopanacis.
Centaurei.
Galbani, Singulorum dr. 2.

Vini veteris quantum ſatis eſt ad diſ-
ſoluenda ſimplicia humida, qualia ſunt gū-
mi liquores & lacrimæ. Mellis antiqui quā-
tum ſatis ſit ad incorporanda ſicca, prius
tamē tenuiſsimè trita. Non definit Andro-
machus ſenior menſuram vini aut mellis,
ſed hoc committit ſolertiæ periti artifi-
cis. Verùm Andromachus iunior hoc defi-
nit in ſua Theriaca, accipiédo mellis drach-
mas 960. id eſt, vncias 120. vel libras 10. &
vini drachmas 320. hoc eſt, vncias 40. vel
libras 3. & tertiam inſuper partem. Et
hæc quantitas ab omnibus recentioribus
tanquam ſufficiens obſeruata fuit, accipi-
entes ſcilicet drachmas octo pro vncia. Re-
ijcienda autem eſt cōſuetudo minimè bo-
na Neapolitanorum, qui vnciam ex decem
drachmis conſtituunt, quoniā manifeſtiſ-
ſimū eſt Galenū & antiquos oēs tātùm eā
de octo drachmis conſtituiſſe, & ſi decē ſu-
mantur totam compoſitionem corrumpi.
Quanq̄ in hoc Antidoto forſitan hæc diffi-
cultas non ita accidere poſsit, cùm omnia
drachmis definiātur nō vncijs, attamē faci-
lè error inde contingere poſſet, ſi quiſpiam
tantùm numerum drachmarū in vncias re-
ſtringeret, quæ 10. drachmis definirentur.
Hoc etiā hic conſideratione dignū eſt, cùm
vinum

vinum tantùm in eum vſum adhibeatur, vt ſimplicia, quæ nequeāt cōuerti in puluerē, optimè terantur, ſatis eſſet ad hoc multò minorē copiam illius accipere: & quantitas diligenter menſurata ſæpius ab Imperato, vini, quæ requiritur, nō excedit pondus eorum quæ debent diſſolui, quæ cùm pendeant, libram & vnciam vnam. Sequitur tantundem vini ad Theriacam parandam ſatis eſſe. Quæ igitur cauſa eſt, quòd Andromachus iunior triplū accipiat? Ad hoc reſponderi poteſt, Maſſam Theriacæ non eſſe conſiderandam in ea conſiſtentia quam ſtatim accipit, cùm iam eſt parata, ſed reſpiciendū eſſe quoq; ad mutationem, quam progreſſu temporis ſolet ſubire: atque ideò partim ad præſens tempus, partim ad futurum reſpicientes, cum ſufficienti conſiſtentia paranda eſt eius maſſa, vt toto tempore illius durare queat. Conſideramus autem eius ætatem non tantum quantū ad vires & efficacitatem, quę ſolet eſſe maior vel minor, prout iam eſt huius vel illius ætatis, ſed etiā ſecundū conſiſtentiam. Nam cùm in principio nonnihil ſit liquida, poſteà exhalant partes euaporabiles vi caloris ſui naturalis excitati per fermentationē, quod ſi accidit, breui tēporis ſpacio fit nimis ſicca, & quaſi

 ſenectu-

ſenectutẽ acquirit conſiſtentię, prius quàm ſit in infantia, vt ita dicam, quoad ſuam efficacitatẽ, vnde concluſerunt triplũ vini eſſe addendum, quòd hic liquor eſſet magis idoneus, vt inſenſibiliter euaporaret, priuſquàm fermentare deſineret. Quòd ſi certi fuiſſemus, maſſam permanſurã ita ſemper eſſe, ſicuti initiò fuit, procul dubio cum tertia parte vini, ſecundũ Andromachũ iuniorem, rectè potuiſſet fieri hoc Antidotũ. Et quia vniuerſa maſſa 16. libris debet conſtare, (ſic enim voluit Andromachus, vt dicemus ſuo loco,) tamẽ primùm 18. accipiuntur, nam propter euaporationẽ rurſum ad quantitatẽ definitã 16. lib. redit, & hoc maximè ſpectat ad vinũ, quanq̃ nonnihil quoque ad mel & ſuccos, & fortaſsè etiã ſpecies alias pertineat. Ob hanc itaq; cauſam, vt inter fermentandũ conſumi poſſet, Andromachus iunior poſuit vinum in tripla quãtitate. Senior verò cùm animaduerteret hoc conſiſtere in eo quod magis & minus eſt, non definiens menſuram, induſtriæ Pharmacopæi id permiſit, idque propter duas veriſimiles rationes: Quarum prima eſt, quòd ea quæ diſſolui debent, non ſemper vnius conſiſtentiæ eſſe ſoleant, ſed cùm ſæpenumero ſint nimis ſolida, plus vini requirunt

quirunt, aliquando verò, cùm teneriora & magis mollia sunt, minus illius postulant, ideoq; difficulter iusta mensura ad pondus definitũ accipi potest. Altera est ratio, quoniã pręparatio fieri poterat plurib. modis, q oẽs sunt ab eo idonei habiti, quorum aliqui necessario plus vini, alij verò minus requirunt, quòd si certam mensurã illius sumsisset, non oẽs potuisset approbare, sed vnum eorũ tãtum alijs exclusis, de quo paulò post dicemus in modo præparãdi Theriacã plura. Neque de vino id fieri poterat quod de melle, vbi certa mensura põt definiri, quia materia est aridorũ, & iam longo vsu constat, quòd iusta proportio sit quadrupla, priusquam simul misceantur, & post mistionem in quincupla, quare si diuiserimus species & mel, in singulis libris mellis imponuntur tres vnciæ puluerum, quæ faciunt quartam partem vnius libræ. Sed cùm omnia sint commista, vniuersum constat 15. vncijs, cumq; 3. tantùm vnciæ sint aridorum, quintam partem eorum esse patet. Quam regulam Pharmacopæi hodie adhuc in omnib. alijs obseruant, sumentes eã ex Mesue in plurib. locis, præsertim in Philonio primæ descriptionis & in Diamosco, vbi quadruplũ mellis præscripsit, quare si

Mesues, vel alij, qui componunt medicamenta, non definiũt illius quantitatem, sed quantum satis est addunt, hanc proportionem obseruant pharmacopæi. Vini autem alia est ratio, nã cùm accipiatur ad res quæ difficulter in puluerem redigi possint, & maiorem vel minorem in se retineant humiditatem, vinum quoq; copiosius vel parcius accipitur, modò dosis earum eadem seruetur, & quia vinum facilius euaporat quàm mel, ideò sępè iterum exiccantur gũmi & succi, si non id de nouo addatur: quare in hoc Antidoto triplum accipitur, quod si non fieret, duo absurda sequerẽtur, vnum quòd exhalarent partes essentiales eorum quæ liquari debẽt: alterum quòd tota massa progressu temporis fieret nimis arida, tuberosa & inæqualis, & ideò integram fermentationem non consequeretur, sed de his deinceps plura erunt dicenda.

DE PROPORTIONE *Theriacæ, & quomodo corrigi debeant in eius descriptione aliquot mendosa loca.*

CAP. V.



CVm disputatio de proportione, qua vsus est Andromachus in Theriaca, requirat doctrinam de gradibus, & potius spectet ad Medicum quàm pharmacopæum, ideo constitui eam hoc loco omittere. Sed cùm descriptionem meam variauerim ab aliorum descriptionibus, nam (exempli causa) Quinq; folij & Sagapeni pondus mutatum est, si nihil de hoc artificio dicerem, huius mei facti nulla appareret ratio, & simul cùm de his rebus sermonem instituero, sic quoque aliquot errata quæ sunt in hac descriptione corrigentur. Dabo autem operam vt hæc ita tractentur, quo à pharmacopæis quoque intelligi facilè posśint. Et profectò qui dili-

gentiam Andromachi in hoc Medicamento componendo perpenderit, non solùm non admirabitur eum plurimùm, sed etiam tãquam certam regulam quoq; in alijs compositionibus parandis arte & non casu, imitabitur. Primùm enim is constituit sex distinctas doses vel classes, obseruans perpetuò veram & accuratam tam in numero simplicium, quàm ponderum proportionem. Quantum enim ad simplicia, proportionem quaternarij obseruat, quem numerum nunc simplicem, nunc in duplo accipit, & etiam duplum reduplicat, quadruplicando quaternarium, & interdum triplicat duplum. In ponderibus verò proportionem libræ accipit, cùm ex sex classibus proposuerit sibi quatuor efficere, easq; vnius libræ, deinde vnam classem dimidiæ libræ, & aliam de sextante, id est, de sexta parte vnius libræ, quod pondus si adiungatur dimidiæ libræ & pacti illi liquoris, qui Theriace imponitur, aliam integram libram, sicuti dicemus, efficit. Et vt declaremus rationem diuisionis in sex partes, vna tantùm est, quæ habet proportionem de solo pondere, & non de numero simplicium, aliæ verò habent vniuersa vtramq; proportionem, cuius rationem paulò post expo-

exponemus. Relicta itaq; nunc prima claſſe, ſeu pondere, quod pondus conſtituunt Trociſci de ſcylla, clarum eſt Andromachi fuiſſe mentem multiplicare eo modo, quo dictum eſt quaternarium numerum: Quapropter ſi aliquod ſimplex videamus hanc proportionem non retinere, & vel abundet, vel deficiat aliquid, omnino iudicabimus illud eſſe ex vna claſſe in alteram tranſlatam, & confidenter poterimus in locum proprium, quem illi conuenire exiſtimauerimus, illud ſimplex rurſum collocare.

Secunda claſsis quatuor habet ſimplicia, (ponentes vnamquamq; ſpeciem Trociſcorum pro vno ſimplici, non reſpicientes iam ad compoſitionem,) Nam compoſitum ex multis rebus, vnam naturam acquirit: & vnam formam habet aptam ad diuerſas actiones, eſtq; arte effectum, vt ſit vnum quippiam, quemadmodum videmus vnum ſimplex quoque ad diuerſos, imò contrarios quoque effectus valere, quoniam ſuam vnionem habet à ſua forma naturaliter comparatam.

Tertia claſsis habet octo ſimplicia, quod duplum eſt ad priorem.

Quarta ſedecim complectitur, idq; rurſum

ſum

ſum duplum eſt ad priora octo, & quadruplum ad quatuor.

Quinta 24. continet, quod eſt triplum ad octo, & ſexcuplum ad quatuor.

Sexta & vltima habet rurſum octo ſimplicia.

Manifeſtum itaque eſt, quòd eo conſilio Andromachus pondera diuiſerit, vt ſcilicet conſtitueret debitam proportionem, quantum ad numerum ſimplicium attinet. Sed nos reperimus hanc proportioné mutatam in duabus claſsibus, quia vltima habet 7. ſimplicia, & quarta habet 17. Vnde facilè affirmari poterit, ſimplex aliquod ex vna claſſe in aliam translatum eſſe, & iſtud quod abundat in 16. ſimplicibus, oportere coniungi cũ 7. vt fiant 8. in hac, & in altera claſſe 16. & hoc pacto tota conſtabit proportio. Hæc ſanè mutatio, an fieri debeat necne, multùm refert vt ſciatur. Nam Antidotus vel perfectior vel imperfectior euadet, prout meliora vel deteriora eligamus ſimplicia. Quòd autem mutari debeat, & obſeruari proportio, quæ oritur à quaternario numero, nobis perſuadebit ſecundum genus proportionis quod oritur à pondere. Nam ſi collocemus in primam claſſem, in qua Trociſci de Scylla ſoli ſunt

48. drach-

48. drachmas, quæ faciunt 6. vncias, vel dimidiam libram: in ſecunda claſſe in quatuor ſimplicibus duplum reperiemus, vnam nimirum libram: in tertia octo Medicamenta ſimiliter vnam libram faciunt: & in quarta itidem, quanquam Medicamenta ſint ſedecim. itemq; in quinta, tametſi ſimplicia ſint 24. In ſexta continetur libræ vnius ſexta pars in 8. ſimplicib. Coniectura itaq; manifeſtiſſ. eſt, & admodum veriſimilis, minimè Andromachum voluiſſe in quarta claſſe pondus conſtituere vnius libræ & ſex inſuper drachmarum, quod accideret, ſi in ea 17. ſimplicia collocemus. Eodem modo ineptum videretur in ſexta claſſe eſſe vnam vnciam & ſex drachmas, quæ pondera ſunt eiuſmodi, quæ ſæpius in compoſitiones, quæ caſu fiunt, conſpiciuntur: non in illis quæ ſunt tã celebres, & qualem Andromachus omnibus ſuis numeris abſolutam conficere ſtuduit. Prætereà illud conſilium Andromachi de quaternario fuiſſe apparet, quòd tota Theriacæ maſſa ſedecim libris compleatur, nam vt nos rationem ſubduximus, omnia quæ ad illam accipiuntur, libras 4. & beſſem conſtituunt, quæ ſunt vnius libræ duæ tertiæ partes, id eſt, 5. libræ excepta tertia illius parte.

Quam

7

Quam tertiam partem vinum in quo gummi & lacrimæ diſſoluuntur, implet, ſed quia tantum vini non ſatis eſt, ſed requiritur adhuc vna libra (nam vini erit omnis vna & dimidia libra, vel circiter, ſecundum peritiam Pharmacopæi) & ita in vniuerſum erunt ſex libræ, ad quas, ſi addamus 10. libras mellis, habebimus numerũ 16. librarũ, in quo ſi aliqua erit varietas, in cauſa vinum eſt, cuius pondus ita exquiſitè definiri nequit, ſed ſolertiæ artificis hoc committitur, qui plus illius quidem addere debet quàm exiſtimat mediocrem Antidoti conſiſtentiam requirere, propter cauſas ſuperius indicatas, & ita varietas ſedecim librarum non adeò eſt magni momẽti. Verùm tamẽ hoc loco aliquis dubitare poſſet, tametſi Andromachi fuiſſet inſtitutũ obſeruare iſtã quaternarij proportionem, nõ tamen veriſimile eſſe, quòd ſtatim de quarta claſſe in ſextam hæc transpoſitio fieri debeat, quoniã in medio adhuc relinquitur magnus numerus ſimplicium, nec vnũ iuxta alterum poſitũ eſt. Quæ ſanè dubitatio non omnino ratione carere videtur. Sed reſpondemus, hanc tranſpoſitionem non eſſe factam ex quarta in ſextam, ſed ex quarta in quintam, & deinceps ex quinta in ſextam claſſem. Quod inde probari

bari poteſt, quòd in omnibus Theriacæ deſcriptionibus, vnica hac excepta, Sagapenum collocatum ſit in vltima claſſe, & peculiariter in Theriaca Andromachi filij deſcripta à Galeno, quam etiam deſcriptionem multi ex recentioribus ſequuntur, & demonſtratur Aëtium quoque hanc ſecutum eſſe, qui 13. libro eam exponens, in vltima claſſe collocauit Sagapenum, quod in ſua quoque Theriaca facit Damocrates. Cumque Sagapenum poſtremum ſimplex fuerit in catalogo 24. quintæ claſsis, facilè potuit dimoueri ex primo loco ſextæ retrocedendo ad finem quintæ, cùm hæc duo loca poſtrema ſint finitima, & ſe mutuò attingant: & hoc modo claſsis octo ſimplicium 7. tantùm permanſit, & altera de 24. creuit in 25. Atque hoc ita fieri poſſe, ex ipſomet Galeno colligi poteſt, qui inter ſe comparans deſcriptionem Andromachi patris & filij, ait, filium eam deſcripſiſſe de verſibus patris, & in ſolutam orationem reduxiſſe, vt obſcuritas vitaretur, & omnia fierent euidentiora, ac docet nullam inter vtramque eſſe aliam differentiã quàm doſim piperis longi & nigri, cùm pater longum collocet in ſecundam

claſſem

classem illius ponendo 24. drachmas, nigrum autem coniungat cum ijs quæ sunt in quarta classe accipiendo 6. drachmas. Andromachus verò filius contrarium facit sumendo 6. drachmas de longo, & nigri 24. Nec in alijs inter se differre videntur, nisi quòd Galeno mirum videtur, quare Andromachus filius nominauerit Calamentum more Romano Nepetam, cùm aliàs vbique secundum consuetudinem patriæ suæ, Græca vocabula vsurpet. Quòd si Sagapenum in descriptione senioris Andromachi debuisset in 5. classe poni, esset in hoc quoque differentia ponderis inter ipsum & iuniorem, quia hic in sextam classem reponit, & ex sententia illius Sagapeni quatuor erunt drachmæ, de huius verò tantum duæ. Quòd si tempore Galeni alia prætereà differentia in his duabus descriptionibus fuisset, proculdubio ipse quoque eam silentio non præterijsset, cùm plura sæpius alia non tanti momenti notauerit. Sicuti nomen Romanum Nepetæ, inter alias græcas voces vsurpatum. Dicendum itaq; si in alijs rebus nullis præterquàm in pipere longo & nigro discrepent, manifestiss. signum esse quòd in reliquis sint concordes. Quòd si verò varietatis plus adhuc
reperia-

reperiatur, necesse est vnam vel alteram descriptionem non esse perfectam. Andromachi autem senioris descriptionem non esse mendosam, nequit alia ratione affirmari, quàm eam versib. elegiacis esse conscriptam, qui, vt Gal. quoque asseuerat, minus possunt deprauari quàm soluta oratio. Non esse quoque mendum in iunioris descriptione ratio comprobat, desumta ex veritate duarum proportionum iam dictarum. Vnde potius dicerem errorem esse in senioris Theriaca, nec admitto, versus non posse facilè mutari. Nam qui versatus est in lectione Latinorum & Græcorum poêtarum, non solùm vnam atque alteram dictionem, sed integros sæpè versus à propria sententia autoris esse mutatos, facilè deprehendet, sicuti apparet quoque in Mithridatio Damocratis vnum versum esse mutilum, & ob defectum vnius dictionis Medicamentum quoddam esse sublatum, & alij sunt ibidem in quib. post paucos versus eadem simplicia repetuntur. Facilè itaq; contingere potuit, vt in versibus Andromachi similis accideret mutatio, cùm in carta alicubi rubra vel rasa forte fortuna sit versus restitutus, ex imaginatione Græci alicuius hominis curiosi, & quòd Galeni tempore

adhuc correctior textus legeretur, ita pacto, vt Sagapenum in ſexto ordine ponderum conſpiceretur. Nec ſolùm ita in Theriaca iunioris Andromachi poſita eſt, ſed in illa quoq; quam Gal. deſcribit in lib. de Theriacæ vſu ad Pamphilianum, ſecundum ſententiam ſenioris, vbi hæc verba leguntur. Sed hæc antidotus, cui nomen Galene impoſitum fuit, id eſt, Tranquilla, à primo autore Andromacho, hoc modo deſcribitur. Hoc dicit Galenus, & deſcribens poſtea Theriacam, reponit Sagapenum in ſextam claſſem, & cùm dicat hoc fieri ex ſententia Andromachi, qui primus eam cõpoſuerit, nõ poteſt intelligi, niſi de ſeniore: quia hic vocauit eam Galenem, id eſt, tranquillã, vt patet ex initio ſuæ elegię, in 3. verſu:

Tranquilla hæc, hilariſq́; ſuo pariterq́; ſerena
Nomine, &c.

Cùm igitur tot teſtimonia Galeni habeamus, quibus noſtra coniectura cõfirmatur, nullam video ſubeſſe cauſam, quare vltimus ordo nõ debeat conſiſtere ex octo ſimplicibus, ponendo in eum Sagapenum & non in quinto. Sed hoc facientes vltimã quidẽ proportionẽ reſtituunt, ſed contra quinta labefactabitur, quia cũ ea conſtet ex 24. ſimplicib. auferentes vnũ reſtabunt tantùm 23. Quare

neceſſe

necesse est vt vnũ illi reddatur, idq́; accipietur de fine quarti ordinis, in quo loco abundat, quia assunt 17. Quòd si videatur nonnihil durius ita emendare duas res in textu græco, attamen si non apparet à vero abhorrere, propter multas rationes, in Sagapeno, idẽ quoq; in hoc altero nõ propter causam fieri poterit: eritq́; illud simplex Quinq; folium, quia in greco textu Andromachi reperitur vltimũ ex 17. Non tamẽ negauero hãc secundam transpositionem esse potius in coniectura positũ, sed cũ ratio quoq; nõ desit, eaq́; satis efficax, inde reddet quoq; coniectura satis certa. Hoc etiam confirmat descriptio Aëtij lib. 13. quã ex Galeno sumsit. Qui quidẽ describens Theriacã Andromachi acceptam ex libris Galeni, non tamẽ in omnib. cõuenit ea neq; cũ illa Andromachi patris, neq; altera quoq; filij. Verũtamen, quantũ suspicari licet, eã potiss quã Andromachus filius posuit, cogitat describere, diuersam tamen ab ea quæ hodie sub hoc nomine apud Galenum reperitur. Nam inter hanc & alterã patris nõ solũ differentia est, quoad piper longũ & nigrũ (quã solã agnouit Galenus, ac de ea suprà locuti sumus, sed etiam in alijs differunt. Nam in 4. classe Aëtius adiungit piper albũ, aut ipsius loco

tertiam partem illius quod maximè nigrũ est, faciendo hanc 4. classem de 18. simplicibus. In quinta verò adijcit Acorum, quæ duo simplicia apud Galenum nec in senioris nec iunioris Andromachi descriptione reperiũtur. Præterea simplicia eo ordine apud Aëtium, nõ sunt disposita quemadmodum apud Galenum. Sed si hæ rationes alicui non satisfacerent, sunt adhuc aliæ desumtæ ex varijs fundamentis, quorum vnum oritur ex proportionibus, quæ accipiuntur à gradibus primarum qualitatum medicamentorum, quæ ad Theriacam accipiuntur: alterum est ex proportionibus quæ sumuntur ex secundis qualitatibus: tertium ex proportionibus quæ circa consistentiam vel massam totius Antidoti considerantur, tametsi præter hæc & alia sint fundamenta, ad quæ diligentiss. respexit Andromachus. Sed nos relictis prioribus duobus tanquam difficilioribus, & quæ alibi tractari debent, agamus de tertio, quod facilius intelligi poterit. Notandum itaq; est, cùm Andromachus voluerit vnius formæ efficere totam massam Antidoti, neue in posterũ esset vel liquida nimis vel compacta sed mediocris consistentię, atq; simplicia ideò partim arida, partim dissolubilia essent vsurpanda, dili-

da, diligenter admodum obſeruauit, vt inter vtrumq; genus ſimplicium idonea retineretur proportio, eaq́; in ſingulis claſsibus erat obſeruanda planè eodem modo, nam abſq; hoc ſi eſſet, non æqualis maſſa Antidoti, quæ eſſet formę mediocris haberi potuiſſet, quòd artificium tanti eſt momenti, præſertim in Antidotis celebrioribus, vt ſi negligatur, nunquam fermentatio integra abſolui, aut vna quædam ſimilis forma de tot ſimplicibus, per quam vnum altero non præualeat, ſed tertium quippiam inde emergat, conſtitui poteſt. Exiſtimauit itaq; Andromachus ſemper mediocrem inde conſiſtentiam poſſe extare, ſi omnia ſimplicia Theriacæ ita partirentur, vt quarta eorum pars eſſet ex diſſolubilibus, & reliquæ partes aridorum. Vt ſi poſteà fieret illa inter omnia ſimplicia actio & reactio, liquida penetrãdo quaſi per ipſam ſubſtãtiam maſſę, ſecũ adhęrentes traherent quoq; pulueres, & ferentes ad diuerſas partes hinc inde, debito tempore ad iuſtam fermentationem peruenirẽt, & quaſi omnis minima portiuncula naturam ſaperet vniuerſi, & totum compoſitum nouam appellationem, qua exprimeretur ipſius Natura ſimplex, vna, &, vt ita dicam, ſimi-

 laris,

laris, asciſceret. Commiſcuit itaque Andromachus farraginem ſimplicium cum proportione quadrupla inter diſſolubilia & arida, non ſolùm conſiderans totum ſimul corpus, ſed ad eam quoque accommodando ſingulos ordines vel claſſes huius compoſitionis: quam proportionem præthereà obſeruauit in ponderibus & in numeris ſimplicium. Nam omiſſo iam primo ordine, quòd tantùm vnica re, Trociſcis nimirum Scylliticis conſtat. Secundus ordo, cuius pondus aſcendit libram vnam, continet tres vncias Opij, ſucci diſſolubilis, quæ eſt quarta pars libræ, & in totum habet quatuor ſimplicia, de quib. vnum, id eſt, quarta pars eſt ex liquidis, & tria ſunt quæteri debent. Tertius ordo habet 8. ſimplicia, de quibus duo, id eſt, quarta pars, ſunt ſucci, nimirum ſuccus Glycyrrhizæ & Opobalſamum, & reliqua ſex ſunt arida: & hoc quidem ad numerum pertinet: Quòd ſi pondus perpenderimus, duo iſti ſucci conficiunt ſimul tres vncias, & tota claſsis eſt vnius libræ, itaq; in hac claſſe eadem proportio, quę in ſecunda obſeruatur. Idem patet in quarta: nam de 16. ſimplicib. in illa, quatuor, Myrrha, Crocus, Thus, Terebinthina diſſoluuntur vino, duode-

duodecim verò reliqua in mortario terun-
tur, quia ſunt arida, & iſta quatuor, quæ
diſſolui debent ſingula ſex drachmas com-
plent, quare pondus conſtituunt 3. vn-
ciarum, cùm tota quantitas 16. ſimplí-
cium ſit vnius libræ, quare & hic eadem
proportio reſultat. Venientes igitur ad
quintùm ordinem, qui 24. ſimplicibus de-
finitur. Eadem in illa quantitas conſpici-
tur, nam ſex ſunt humida, & 18. arida.
Humida ſunt Styrax, Gummi, ſuccus Hy-
pociſtidis, Acacia, Thlaſpi, Hypericum,
quæ cùm faciant quartam partem ex 24.
ſunt etiam quarta pars ponderis, nam
cùm vniuſcuiuſque 4. drachmæ ſuman-
tur, ſimiliter conſtituunt 3. vncias, cùm
in vniuerſum 24. ſimplicia libram vnam
conficiant, quemadmodum ſuperiores
alij ordines. Nec impedit dubium de
Thlaſpi & Hyperico, quia hæc duo teri
nequeunt, ipſeque Galenus dicat, ea
in vino inſtar aliorum ſuccorum diſſol-
uenda eſſe. Quanquam de Hyperico non ita
expreſsè hoc ponat Galenus, manifeſtè ta-
men reſinoſum eſſe ex odore percipitur,
quemadmodũ dicit Dioſcorides, atq; etiam
ex tactu, ſicuti vnuſquiſq; poteſt depræhen-
dere, & forſitan Dioſcorides quoque idem

intellexit, ſucculenta enim planta eſt, ſanguinei liquoris plena, nec ipſius Cimæ, ſemine & flore refertæ, comprimi poſſunt, quin manus inficiant lentore ſimili reſinæ, vnde non tantùm propter odorem, ſed illam viſcoſitatem quoque, veteres vocarunt Chamæpytin, id eſt, paruam pinum: propter hanc igitur qualitatem Hypericum non poteſt numerari inter res aridas & quæ teri debent: ſed quæ inter contundendum reddunt aliquid liquoris, & tametſi Gal. non ſeparet ab aridis Medicamentis, fortaſſe in cauſa id fuit, quod conſideratis omnibus ſuis partibus terreſtres viſæ ſunt ſuperare reſinoſas, quare putauit poſſe arte inter terendũ attenuari, cõmiſcendo nimirũ cum alijs reb. ſiccis: ſed nihilo tamen minus tantum liquoris in ſe habet, vt rectè adiuuare poſſet proportionem dictam. Reliquus eſt ſextus & vltimus ordo, in quo ſunt 8. ſimplicia, ex quibus quatuor diſſolui debẽt, & alia quatuor ſunt arida: cumq; ſingula drachmas duas contineant, conficiunt vniuerſa duas vncias: liquabilia ſunt, Sagapenum, Bitumen, Opopanax, & Galbanum, reliqua verò teri debent. Et in hac vltima claſſe dimidium proportionis accepit, tam in numero quàm pondere, recordans in prima claſſe,

classe, in qua est vnum solum medicamentum, scilicet, Trocisci Scyllitici, contineri sex vncias earum quæ teri debēt sine admistione alicuius liquidi, vnde propter istam ariditatem, in hac parte voluit augere liquida. Iam si in 4. ordine relinquamus 17. simplicia, pondus 6. drachmarū erit superfluum, & proportio nō constabit, cùm aridorū plus assint, quàm illa admittat, quod etiam in 6. ordine accidet, si auferamus sagapenum. Vtque melius cognoscatur, Andromachum solitum fuisse suas compositiones conficere cū mensuris certis & manifestis, neq; respicere ad minutas diuisiones, examinare poterimus insuper Trociscorum, qui Hedychroi vocant, compositionem, qui summo artificio sunt facti, inprimis quod attinet ad aridorum mistionem cum alijs quę liquantur. Et hæc descriptio desumta est ex versibus Hexametris lib. 1. de Antidot. cap. 10. vbi Gal. dicit, Andromachum esse ipsius autorem, & per manus quasi continuo peruenisse ad eos, qui pro Cæsare componebant istos Trociscos, tametsi multæ aliæ circumferrentur descriptiones, quæ à Galeno non fuerunt approbatæ. In his igitur Trociscis primum omnium simplicium pondus exquisitū, est nouē

 vncia-

vnciarum, nã vinum, quo in pastã redigũtur, voluerunt circiter tres vncias constituere, quæ omnia complent integram libram, quod sanè autor voluit. Proportio autem inter terẽda & mollia ita reperitur, vt ex nouem vncijs, duæ sint liquidorum, & septem aridorũ. Liquida autem sunt. Opobalsamũ, Myrrha, Crocus, Mastiche, quę diuerso pondere cõstituunt 16. drachmas, retinẽdo tamẽ ꝓportionẽ quartę partis, vt in Theriaca, quanq̃ nonnihil varietur, assumẽdo vnã partẽ, scilicet duodecimam plus aridorũ, q̃ est vna vncia de nouẽ. Quod factum est, qa requirebant isti Trocisci consistentiã aliquanto duriorẽ: quoniã mellis quod retinet massam mediocriter in se vnitã, nihil additur. Sed diligenter hoc loco notandũ est, in tã multiplici cõpositione variorum simpliciũ, quanq̃ omnis diligẽtia adhibeatur circa tot differẽtias proportionũ cõstituendas, non tamẽ exquisitæ, & vt planè nihil desit, illas posse exprimere. Quod tamẽ nos impedire non debet, quominus Antidotũ efficacẽ esse putemus, fieri. n. nequit, vt penitus exquisitã reperiamus mensurã: sed saltẽ quantum arte consequi possumus, & quanq̃ in hoc studiũ omne adhibeat artifex, tamẽ nõ omnino vitare põt exiguos aliquot

aliquot

liquot defectus, qui tamẽ nõ culpa artis vel artificis, sed natura ipsarum rerum accidũt. Ideoq; si in his nostris obseruationib. dubium aliquod emergat, nõ oportet ꝓpter leuẽ aliquẽ scrupulũ, rationes manifestas & solidas ꝓpterea negligere, sed tum ratione, tũ experientia, quãdo tale aliquid cõtingit instructi, rectè nostro arbitrio aliqua vel adiũgere vel auferre possumus, & satis superq; Medico esse debet, si ab vno aliquo simplice fortè requirat decẽ diuersas actiones, & ille tantùm octo vel nouẽ obtineat, vt (exẽpli gratia), cupimus medicamẽtũ calidũ & siccũ in gradu tertio, acre item & simul dulce, aromaticũ, subtiliũ partiũ cũ leui aliqua astrictiõe, quod sua ꝓprietate prosit capiti, stomacho, & epati, quod calculũ vesicæ frãgat, sanet dolores ischiadicos, resistat venenis, & peculiariter viperæ, & accipiẽtes Cassiam, nõ eã propterea reijcimus, quia caret ea facultate, qua calculũ curat, & ischiadicũ dolorẽ, quoniã reliquas omnes vires in se continet. Nam difficilè est vnũ medicamẽtum inuenire, quod vniuersa hæc exquisita præstet, atq; satius est retinere hoc quod in duob. deficit, quæ tametsi auxilio alterius simplicis possimus cõplere, illud tamẽ præterea aliquid habebit fortasse vitium, quod

potius

potius impediat quàm promoueat noſtrũ propoſitum,& ſi hoc quoq; velimus corrigere, hæc emendatio in infinitum poſſet produci: quod vt fugiamus,cogimur ſaltẽ ita agere,vt contenti ſimus, ſi quod adhuc deeſt,non ſit magni momenti. Atque hæc, quæ diximus de ſimplicibus, accommodanda ſunt quoq; ad omnem vniuerſalem conſiderationem compoſiti, vt ſi(exempli cauſa)Andromachus cogitauerit totã maſſam Theriacæ conficere 16.librarum,& fortè dimidia libra adijceretur,non propterea Antidotus fuerit deterior. Sic etiam difficile eſt omnes circumſtantias in ſingulis proportionibus poſſe obſeruare,nam quã-quam in duob.ſimplicibus habeamus partes ſubtiles & penetrabiles,& gradum quoque quem requirimus in primis qualitatibus, facilè tamen continget, vt ſint ſicca forſitã, cùm deſideremus humida:& ſi duo ſimplicia humida cum his conditionibus reperiantur,facilè tamẽ fieri poterit,vt aliæ qualitates, quas requirimus,illis deſint: quòd ſi proportionem omnium ſimplicium in ſiccitate & humiditate collegerimus,fortè fortuna in qualitatibus partium aliarum aliquid deeſſe poterit. Quare ita ſtatuendum eſt,quòd ſi in potioribus compoſiti

positi partibus proportiones constant, propter exiguum defectum, ideò non esse illud reijciendum.

QVÆ SIT PROPORtio rerum aridarum & mellis in hoc Antidoto.

CAP. VI.

MVLTAE dubitationes oriuntur de vino in hoc Antidoto. Quia verò antea à nobis dictum est, quòd hoc eam ob causam solummodo accipiatur; vt res quę non facilè possunt puluerisari, in eo dissoluantur, primùm quęri potest, quam proportionem inter mel & res aridas voluerit Andromachus obseruare. Ad quod expresè responderi nequit, nisi prius videamus, quid debeat in Theriaca vinum præstare. Ac si consideremus ea medicamēta, quæ per se dissolui possunt, non opus est vino hac in parte: nam vinum non reddit ea validiora: nec fuit autoris præcipuum consilium

ſiliũ vinũ Theriacæ adijcere, neq; etiã mel, quoniam vis & facultas huius Antidoti cõſiſtit in ſimplicib. ex quib. componitur, nõ in hiſce duob. liquorib. Atq; mel quidẽ tãtùm ad conſeruandũ vigorẽ eorũ additur, nam alioqui euaporarẽt: & inſuper ad adiuuandã fermentationẽ, quæ fieri non poſſet, ſi pulueres ſoli adeſſent: nullas tamen mel Antidoto communicat facultates, quę eſſent alicuius momenti. Vinũ quoq; non alia de cauſa huic compoſitioni additur, niſi vt inſtrumentum tritum eorum, quæ diſſolui ſolent: quæ ſi potuiſſent ad perfectam ſubtilitatem per ſe redigi, eo nihil opus fuiſſet: cuius officium eſt tenacem eorũ ſubſtantiã contẽperare, & aptam efficere, vt ea per totã maſſam miſceri facilè queãt: quod quidem aſſequitur, ſi tantum illis tribuat humiditatis, quantum hæc actio requirit. Præterea multum facit ad Antidoti miſtionẽ, quæ ſemper eò melior habetur, quò eſt liquidior: cum experientia doceat electuaria formæ liquidioris eſſe efficaciora, quam quæ in orbiculis, aut alia forma ſolida parantur: nam eiuſmodi non ſolùm non facilè per corpus diſtribuũtur, ſed ſunt etiam minus durabilia. Sed hoc loco duo conſideranda ſeſe offerunt circa proportionem

totius

totius compositi. Vnũ est, quod in hoc Antidoto obseruetur eadem generalis regula mistionis, quæ vbiq; in vsu est, vt mellis quadruplum sit ad pulueres nondum commistos cum alijs (nam post eorum mistionem eadem quantitas facit vt mellis sit quincuplum) id est, ad singulas mellis libras aridorum sumuntur vnciæ tres: Quæ mistio mediocris est, & compositionem nec nimis debilem vel validam reddit. Nam notum est omnibus, quòd in compositionib. varia adhibeatur proportio, aut imponẽdo minorem quantitatem specierũ, idq; tamẽ nimirũ quãdo cõpositio debet esse delicatior, aut maiorẽ, si eã cupimus esse validiss. Quod etiam consequimur ponendo plus minúsve mellis ad eandẽ quantitatẽ pulueris: de qua varietate oritur secunda consideratio, quòd Andromacho scilicet propositum fuerit, addere quatuor vncias Aridorũ, & forsitan etiam plusculũ singulis libris mellis, vt Antidotus fieret nonnihil validior. Vbi animaduertendum est, quòd dissolubilia nõ comprehendantur sub numero specierum, quia in fermẽtatione redduntur liquida, & possunt cõsistentiã potius mellis augere in quãtitate, cùm & ipsum sit liquidũ, quàm quantitatẽ aridorũ: quod

sanè

ſanè obſeruatum eſt in omnibus compoſitionibus Græcorum & Arabum: modò vera arte & methodo ſint conſcriptæ. Valdè itaq; hucuſque errarunt aliqui pharmacopęi Neapolitani, (quod pace ipſorum dictũ ſit) qui accipientes diſſolubilia eodem numero vnà cum ſpeciebus propter generalem regulam, quantum ſatis eſt: addebant quadruplum mellis, hoc eſt, pro ſingulis libris mellis tres ſpecierum vncias: cumque vniuerſa ſimplicia Theriacæ conſtent quatuor libris & duabus trientibus, neceſſe illis erat paulò minus quàm decem & nouẽ libras mellis adijcere: quod quaſi duplum erat menſuræ debitæ: nec aliter ſanè hac ratione Theriaca confici poteſt, niſi accipiantur duæ vnciæ, & paulò plus aridorũ pro vna libra mellis. Et ita iſti quidem propter ſuum commodum eam pararunt, quandoquidem maſſa fit multa & copioſa: ſed parum vtilis illis quibus datur, cùm non prædita ſit multis viribus. Hæc itaque duo in conſiderationem cadunt propter vinum, quod in menſura certa, & ſecundum artificis iudicium poteſt addi, quemadmodum ſuperius diximus. Quod vt melius declaretur ſciendum, ſi Andromachus voluiſſet tantum vini accipi quantum ſatis fuiſſet

ad

ad dissoluendũ ea, quæ dissolui debent (tametsi primò nõ expresserit dosin vini) posset aliquis dicere, ipsius propositum fuisse quatuor vncias specierũ pro singulis mellis libris. Cùm.n.illa potuissẽt dissolui in multo minori quãtitate q̃ est ea quã ponit Andromachus iunior: illudq; quod adijcitur (vt dictũ est) vltra illam quantitatem fit resarciendi causa, eius quod verisimile est exhalare: ita Antidotus iustã mẽsuram 16. lib. habebit. Sequitur altera consideratio apud Andromachũ: si ponamus, quòd mellis sumi debeant libræ decem, (quod etiam spectat ad primam consideratione) hoc facilè monstrari põt ex respectu aridorũ cũ melle. Nam arida vniuersa põdus quadraginta vnciarũ conficiũt, id est, tres libras & dimidiã cum vna vncia: quæ cùm diuidantur in decẽ partes, secundũ mellis decẽ partes, ex 40. vncijs ad singulas libras pertinent 4. vnciæ, & supersunt adhuc tres, quæ etiam in decẽ partes sunt diuidendæ, ex quibus ad vnamquamq; partẽ veniũt 7. scrupuli & duo grana: Itaque proportio erit in hoc, quòd in vnaquaque libra mellis addantur quatuor vnciæ pulerum, & paulò minus quàm vna tertia pars: quæ proportio cùm maior sit q̃ debita illa, quam diximus esse mediocrem,

facit vt nobis persuadeamus autorẽ huius Antidoti voluisse eã reddere satis validã per copiosam quãtitatẽ specierũ, sic tota massa cõprehendit 16. lib. relicto vini põdere vnius libræ, & insuper triẽte, tãtum enim de eo superfluo exhalauit. Verùm si velimus vini certã definire mẽsurã, & eũ sumamus respectu 40. vnciarũ, quẽadmodũ fecit Andromachus iunior. Posset aliquis credere, autorẽ Theriacæ respexisse ad primã consideratione, quòd scilicet cogitarit tres vncias rerũ puluerisatarũ inijcere vni libręmellis, & cõficere Antidotũ secundũ cõem vsum electuariorũ mellis cõsistentiæ: & tamen necessariò dicemus, ꝙ succi in vino dissoluti, & in liquidã consistentiam reducti, qualis est mellis, habeant duplicem cõsideratione in Antidoto: vnã, quæ principalis est, vt adiuuet eã sua ꝓprietate: altera verò, quòd materiæ loco sit ad recipiendas & incorporandas res aridas, quando adijciãtur & ad massam, & officium mellis. Nam liquabilia cõstituunt vnc. xiij. vinum, vnc. xl. & omnia, vnc. liij. quæ faciunt libras 4. & 5. vncias: quæ omnia addita decem libris mellis, liquida omnia ascendent ad libras 14. & vncias 5. Et hanc fuisse mentẽ Damocratis in sua Theriaca verisimile est, qui dissoluit succos

&

&lacrimas,eo vſq; donec mellis craſsitiem acquirūt,quanq̃ poſteà quod metalla in vino diſſoluit,ab alijs diſcrepat. Iam cū arida, quæ 43. vncias attingunt, debeant diſtribui in libr. 14. & vncias 5. liquidorū proportio, inde oritur trium vnciarum ad libram: nam libr. 14. liquidorum adſumunt vncias 42. aridorum, & quinq; vnciæ liquidorum, reliquam adhuc vnciam: atque colligendo omnia liquida & arida ſimul, maſſa exquiſitè erit librarum 18. Nam addendo tres libras, & ſeptem vncias aridorum ad libras quatuordecim, & vncias quinque liquidorum, aſcendet numerus ad 18. libras: quæ tamen properteà ꝙ ſatis multū de vino exhalet,& aliquid quoque de melle, ſuccis & ſpeciebus abſumitur, tandem veriſimile eſt ad 16. libras redigi, quod ſanè primum fuit autoris conſilium. Quia ſi ſpecies tum demum ponderarentur ſecundum deſcriptionem, poſteaquā tritæ eſſent, proculdubio haberetur doſis vera, reſtituta quantitate amiſſa inter pulueriſandū: Sed cùm fermè omnia ſimplicia ſimul pulueriſentur, cogimur ea prius ponderare: nec aliter fieri pōt, quin inter piſtandum aliquid decedat, cùm experientia planè conſtet, omne ſimplex poſt pulueriſationem leuius eſſe, q̃ cùm adhuc

esset integrum. Ac prætereà mel quoque & ipsos succos euaporare, manifestũ est, quia dum succi percolantur per lineũ pannum dẽsum, vino iam dissoluti: aut quẽadmodũ Imperatus facere consueuit, per cribrũ setaceũ vel staminеum, vt vocãt, expressi, quo depurentur à festucis & sordib. quæ illis facilè adhærent: quæ quidem in causa sunt, vt pondus diminuatur. In melle quoq; idem accidit, quia ob calida quædam quæ inijciuntur: nonnihil ipsum etiam exhalat. Hoc etiam habetur ex Aëtio & Damocrate, qui Theriacam aridam factam renouant adiectione plusculi mellis: & tradunt Theriacã hoc modo rursum ad vigorem pristinũ reduci: quod non fieri posset, nisi illa ariditas ab exhalatione mellis accideret. Hæ igitur duæ rationes possunt cõsiderari circa massam & proportionem totius huius Antidoti: quarum vtra sit verior, non volumus nostrum interponere iudiciũ: cùm ambæ sint probabiles: At duo alia tamen silentio prætermitti non debent: primùm, quòd cùm nostris temporibus non possunt haberi omnia simplicia vera & genuina, proportionem nonnihil etiam mutari posse propter succedanea: Nam & apud veteres, cùm non ita facilè Cinamomum reperiretur: duplũ

Cassiæ

Caſsiæ pro illo accipiebant: quæ duplicatio efficit vt creſcant arida dr.xij.vel vnc.1.ß. ꝗ pondus requirit etiam inſuper dimidiam librã mellis: vnde toti maſſæ adduntur vnc. vj.ß. Et hoc eò magis contigit, quò opiniones magis diuerſæ de ſuccedaneis quantitatem pulueris maiorem vel minorem reddũt: vt (exempli cauſa,) ſi nõnulli loco Calami Aromatici vellent accipere tertiam inſuper partẽ Agalochi, vel ſi alij loco ſimplicis alicuius liquabilis, acciperent aridum quoppiam, vbi duplici ratione varietas exiſteret. Nã primò aridum adderetur, quod anteà ibi nõ erat, deinde decederet aliquid de liquido: qui modus ſubſtituendi medicamenta antea multis rationibus à nobis improbatus fuit. Alterũ eſt, ſi diligenter rẽ perpenderimus, de duobus modis iam dictis facilè apparet, Theriacæ maſſam validiorem eſſe q̃ alia vſitata medicamenta cõpoſita. Nã tametſi dicamus, vnc.iij. pulue-rum recipere vnam mellis libram: nihilominus quia liquabilia, quæ adiuuant quantitatem mellis, etiam ſuam habeant efficacitatem, fit Antidotus tanto validior, quantum ipſorum propria vis melli communis fit.

ADMONITIO DE multitudine simplicium quæ substitui veris solent.

CAP. VII.

ANTEQVAM incipiã declarare simplicia Theriacæ, visum mihi est admonere lectorem de re quadã admodũ necessaria: ꝙ nimirũ in paucis medicamentis succedaneis vtendum esse existimemus, neque illa indicabimus, nisi vbi ea non facilè occurrãt. Et si aliqua in ea re difficultas offeratur, satis est, si mediocri aliqua diligentia poſsint haberi: nã in omnib. medicamentis vsurpare velle succedaneis, parit nimiã negligẽtiã circa inuestigationẽ verorum & propriorũ simpliciũ. Vnde etiã accidit, ꝙ Theriacam nondũ habeamus omnib. numeris perfectam & absolutã: nam qui illam composuit, omninò voluit, vt ex istis simplicibus, quæ in descriptione ꝓponuntur, ea cõponentur & nullo modo ex alijs. Ac propterea ita solicitã & laboriosam

de illis considerationem susceperunt: nec vlla ratio permittit, vt aliquod simplex aliud ab eo diuersum, quod in ipsa indicatur, ad eam accipiatur: nunquã enim fieri potest, vnum simplex esse, ita prorsus simile quoad temperamentum alteri, vt non sit in quibusdam partibus quoque diuersum. Attamen si necessitas hoc postulat, Medici permiserunt succedaneis vti, quæ nihil aliud sunt quàm quædam substitutio, vt si aliquis propter egestatem nouam vestem comparare non posset, veteri nonnihil rursum concinnata vteretur. Attamen propterea erit Theriaca imperfecta, & non penitus integra. Veruntamen in tanta copia simplicium, ex quib. hæc Antidotus cõponitur, quinq; aut sex accipere, quæ parum absunt à natura eorum, quæ alioqui adesse debent, quamuis aliquam varietatem leuem pariant, tamen adhuc concedi hoc potest. At si perueniatur ad quindecim vel viginti, tãtò debilior erit Theriaca, quantò numerus eorũ quæ substituũtur erit maior, imò, vt planius dicã, nõ erit amplius Theriaca, sed quædã res alia. Hocq; eã ob causam volui referre, ꝙ viderim aliquot ex nostris, ꝗ ex simplicib., q̃ circa Neapolim reperiũtur, conati fuerũt hãc Antidotũ cõficere,

ficere, quaſi exotica planè non requirerēt, atque ſpacio trium dierum integram Theriacam parare poſſent. Quod ſi tamen cōparare vera ſimplicia cum ſuccedaneis, atq; inſuper planè etiam falſis vellemus, vix credo ad numerum denarium vera eſſe aſcenſura. Iam videamus, an talis compoſitio poſsit rectè Theriaca Andromachi appellari: & certè ſi ille in viuis eſſet, & in illam fortè incideret, neutiquam illam agnouiſſet, niſi fortaſsè ex titulo appareret ipſius eſſe debere. Ideoq; illos in ius quoque vocare potuiſſet, de iniuria & crimine falſi ipſos accuſans. Nam tempore Galeni ne vnum quidem ſuccedaneum accipiebatur: ſed omnia erant legitima & vera, vno excepto Cinamomo, ob cuius penuriam Caſſiæ duplum ſumebatur. Sed ſequentibus annis tantopere creuit abuſus ſubſtituendi medicamenta in omnibus rebus, vt etiam inuenerint quod ſubſtituerent Trociſcis viperinis, cùm eorum loco componerent Trociſcos de Tormentilla & Dictamno albo ambobus ſimul miſtis. Quæ res, quam abſurda & ſtulta fuerit, quamuis nihil de eo diſputem, vnusquiſque ipſe poterit conſiderare. Sed cùm noſtro tempore multa medicamenta haberi nequeant, cogimur

ſimilia

ſimilia accipere quoad facultates: quantum fieri poteſt, quoniam ſi in Indias aut Arabiam etiam nuncios mitteremus, ea habere vix poſsimus. Contra ſi (exempli gratia) verum Ammi, Rhaponticum, Terebinthinum, Phu, Terram Lemniam, & alia plura ſcribendo in Orientales regiones, Alexandriam, aut Venetias, vel in alias vrbes, vnde afferri ſolent, nanciſci permitteretur, quare aut quadam præpoſtera feſtinatione, aut obſtinatia vellem alia accipere ſub prætextu ſubſtitutionis? Non itaq; ceſſauero exhortari vniuerſos pharmacopæos, quibus ſanitas hominum commiſſa eſſe debet: itemq́ue pariter alios, qui haſce meas lucubrationes legere dignati fuerint, & hanc Antidotum componere rectè cupiunt, ne vnquam cogitent de Theriaca ritè paranda, niſi prius bene ſint inſtructi omnibus illis ſimplicibus, quæ quidem haberi poſſunt: nec ſolùm ijs quibus in Italia caremus, ſed quoque alijs quæ nos habere poſſumus, attamen ex alijs regionibus meliora acquiri poſſunt. Quis enim eſſet tam demens, qui expetens Iridem ex Illyria, illam non ſibi compararet? quandoquidem in regno Neapolitano ad illam regionem crebræ ſunt negotiationes

mercatorũ,& ſic de alijs quoq; idem ſentien dum. Siq; in hoc labore aliquot temporis requiratur, parum referret, etiam ſi vel bien nium aut triennium inſumeretur, modò vo ti noſtri omnino compotes fieri queamus. Atq; ego quidem recordor, quando Imperatus prima vice Theriacã cõponere in animahabuit, non minori ſpacio quàm trium annorum laboraſſe, donec omnia quæ neceſſaria eſſent colligere poſſet, ideoq; multos ſuos amicos in varijs vrbibus interpellare non deſtitit. Vnde tandem omnibus conſtitit, ipſius Theriacam reliquas vniuerſas, quæ in hac vrbe (taceo de alijs) longè antecelluiſſe: quam etiam poſteà bis repetens ſemper adhuc meliorẽ effecit, quanquam tamẽ etiam non minori tempore indiguerit quàm anteà, in omnibus diligenter colligendis, quibus illi in prima ea opus fuit, quam parauit Anno 1557. quo tempore cùm quædam vera ſimplicia inueniri nequiuiſſent, coactus fuit illorum loco decem alia accipere: At in ſecunda præparatione Anno 1561. meliorem eam reddendo in pluribus, tantùm octo ſubſtituit ſimplicia pro veris: & in tertia, quã nuper compoſuit ſex eorum ſolummodo illi opus fuit, atq; etiã peruenit, vt poſtea alia duo inſuper eò,

vel tria

vel tria ſimplicia vera conſecutus ſit, attamen non in ea copia, vt ad Theriacam ſatis eſſent. Quanquam bonam habeat ſpem, quandoquidem iam alijs ea monſtrare poſſit, ſe auxilio amicorum, maiorem quantitatem eorum conſecuturum breui eſſe, vt tandem eam reddat perfectiſsimam. De quo hoc loco plura volui dicere, ne illũ ſua laude defraudarẽ, & aliorũ, exemplo ipſius, in hoc Antidoto conficiendo diligentiam excitarem.

REGVLAE OBSERuandæ, in Medicamentis artificiosè ſubſtituendis.

CAP. VIII.



VM ceperim ſermonem noſtrum inſtituere de Medicamentis ſuccedaneis: ideo quãtum neceſſeerit, vlterius de illis diſſeram, vtileq; hoc loco fore ſpero, vt in poſterum vera arte & non ita temerè talis fiat ſubſtitutio: atq; etiã ad intelligendos aliquot errores, qui cõmittuntur ſæpe hac in parte propter oſcitantiam quorundam Medicorum recentium.

Sciendum

Sciendum itaque primùm, quòd varijs modis vnum ſimplex pro alio ſumi, aut illius loco ſubſtitui dici ſolere, potiſſ. tamen bifariam intelligi: primum admodum latè & impropriè: ſecundo magis propriè, de quo hîc agemus. Priore modo ſuccedanea, vt vocant, ea omnia appellantur, quæ æquali ratione aliquem morbum ſanare poſſunt. quanquam in alijs rebus admodum ſint diuerſa. Vt (exempli cauſa) ſibilum aurium aut dolorem earum à cauſa frigida ortum curat Aloe inſtillatum cum liquore aliquo: quod ſi Aloe non ſit in promtu, poterimus non minori ſucceſſu accipere Chalcitim: atque ſi horum alterutrum deficeret, Nitrum eſſet idoneum, ſicuti quoque Ariſtolochia, & alia multa. Ad hunc itaq; affectum ſanandum Chalcitis loco Aloes vſurpatur: quanquam ſimplicia ſint diuerſarum virium & graduum: quemadmodum etiam Ariſtolochia loco Nitri: & ſic in reliquis omnibus. Neque in alijs morbis ita conduceret vnum alterius loco ſubſtituere. Nam tametſi propter exiccationem & abſterſionem qua præſtant vtilia ſint ad humores tenaces & craſſos conſumendos & abſtergendos, & diſcutiant flatus craſsiores collectos circa aures, nihilo tamen minus
cùm

cùm Aloe ſit calidum in primo gradu, & ſiccum in tertio, Chalcitis autem forſitan calida in 4. gradu, quia erodit carnem, in alio morbo vnũ alterius loco accipi minimè poſſet. Cùm inſuper & ſubſtantia & ſapore planè ſint diuerſa. Vbi etiam nobis in mentem reuocare debemus, quod ſuprà dictum eſt, quantum ſcilicet interſit ponere Medicamentum aridum aliquod loco humidioris in compoſitionibus tam celebribus. Sic etiam tametſi Helleborus loco Sulphuris accipi poſſet in curanda ſcabie vel impetigine, intra corpus tamen ſumi non conſultum eſſet, ſine vehementi agitatione corporis, quod Sulphur non faceret. Quare ſi alibi in Galeno reperimus, quòd Medicamentum aliquod accipiatur alterius loco, diligenter debemus animaduertere, an in vno aliquo tantùm morbo hoc fiat, an verò generaliter in omnibus. Quod cùm nõnulli non obſeruaſſent, aut Galenum irriſerunt, quòd ſubſtituat vnam rem planè diuerſæ qualitatis pro alia, aut non tantillum conſiderantes conſilium Galeni generaliter ad vniuerſos ſubſtituerunt Medicamentum, quod tantùm ad vnum morbum particularem pertinebat, vel tantùm ſimile erat in vna aliqua facultate, con-

te, conueniente cum morbo: quanquã inter illa Medicamenta plures eæq; nõ solùm diuersæ, sed etiam contrariæ facultates reperirentur. Hocq; contigit istis, qui cùm vidissent Galenũ pro Cardamomo substituere duplum Sinapis, vbiq; postea quando Cardamomũ non esset in promtu, pro illo acceperunt Sinapi: non animaduertentes quod Galenus in 7. libro, de compos. Medicamentorum secundum loca cap. 2. circa finem, in cõpositione quadã Asclepiadis contra tussim, vbi assumitur quoq; Cardamomũ, addit, quòd si tempus fuerit verum, & æger sine febre, duplũ Sinapis pro Cardamomo accipi potest, nõ tamen voluit esse regulam omnino vniuersalẽ: cum neutiquã eiusdẽ facultatis sint Cardamomũ, & duplũ Sinapis: imò in eodẽ pondere Sinapi sumtum illo calidius sit: quod apparet ex eo, quoniã foris appositũ carnẽ exulcerat. Ideoq; ex eo reuulsiones fieri solebant, quas Dropaces & Sinapismos vocarunt. Cõtra Cardamomũ, quemadmodũ vult Galenus, quanquã sit satis calidũ, non tamen exulcerat, cũ in ipso odor iste sit mistus qui remittit caliditatẽ. Iam si vtriusq; ęquale pondus sumat̃, & Sinapi longè superet Cardamomũ, quantò magis superabit, si illius duplũ accipiatur. Sed

Galenus,

Galenus, cùm vellet cõpositionem reddere validiorẽ, dicit, quòd tempore veris pro Cardamomo duplũ Sinapis accipere poſsimus. In hac opinione aliquãdo quoq; fuit Syluius Medicus & Profeſſor Pariſienſis: q multũ illuſtrauit artem componendi Medicamẽta: Qui de ſuccedaneis loquens in 3. lib. Methodi ſuæ, volens aliquid loco Ariſtolochiæ ſubſtituere, inquit de trib. illius ſpeciebus quęcunq; ad manum fuerit vſurpari poterit ſine diſcrimine: & affert teſtimonium Galeni ex 3. libro de comp. Medic. ſecund. loca. Quòd ſi Galeni ſententia rectè perpendatur, non ibi accipitur pro vniuerſali ſuccedaneo, cùm ibi loquatur de dolore aurium orto ex craſsis flatibus aut humoribus viſcidis & craſsis. Ad quem affectum requiruntur Medicamenta incidentia, abſtergentia, & reſoluentia eiuſmodi materiam. Quod quidẽ omnes tres Ariſtolochiæ efficiunt ob facultatẽ ſibi inſitãpenetrandi. Sed quoniam inter ipſas eſt aliqua differentia, quemadmodum ex Dioſcoride patet, non video quo pacto ex ipſis vniuerſale ſuccedaneum poſsit conſtitui. Alij plures ex libro de ſuccedaneis, qui falſo ſub nomine Galeni (quemadmodum Syluius quoque affirmat) quædam aſſumunt,

quæ

quæ planè nõ congruũt cùm vera ratione. De quo primo modo substituendi Medicamenta etsi plura disseri possent, tamen differamus ea ad aliud tempus, in quo copiosius ista tractabimus. Alter verò modus propriè nostro proposito quadrat, vbi sciendũ est multa requiri ad verã & absolutã rationem substituendi vnum pro altero. Primus autem scopus est, quòd duo Medicamenta in omni morbo, & vnaquaque compositione posſint fine discrimine, & reciproca ratione vsurpari: vt planè nulla res sit in vno quæ non sit quoque in altero: primumq́ue sint in gradu qualitatis conformes, deinde in substantia seu essentia partium. Exempli gratia, si vnum sit partium subtilium, idem sit & alterum: si liquabile, idem & alterum: prætereà conueniat in odore, & sapore, & occultis quoque proprietatibus, & tandem in omnibus qualitatibus: quòd si forte fortuna vnum esset altero paulò validius, defectus emendaretur alterius maiore vel minore quantitate, aut cum alio artificio ingenioso. Apparet itaque certiorem & meliorem substituendi viam esse inter illa, quæ sunt eiusdem generis, quoniam exigua inter ipsa est varietas. Vt (exempli causa) Nardum montanam possumus accipere

pere loco Celticæ propter ſimilitudinem inter vtramq; : quia ab vtriſque colliguntur radices, quæ ſunt tam ſubſtantia quàm ſapore & odore ſimiles : & quoniam Dioſcoridi non fuit curæ ſeorſim loqui de facultatibus Montanæ, voluit vt ille in Celtica expoſitæ ad eam transferrent. Hanc quoque ob cauſam tuta & legitima eſt ſubſtitutio Caſſiæ duplæ pro Cinamomo, nam inter ſeſe non ſolùm viribus ſed figura etiam & in planta ipſa côueniunt: idque tanta ſimilitudine, vt noſtri maiores obſeruauerint, ſæpe vnum tranſmutari in aliud. Solaq; hæc differentia remaneat, quòd Cinamomum omnibus ſuis partibus & conditionibus ſit efficacius, quare dupla Caſsia reſtitui poteſt. Qui itaq; pro Opobalſamo ſubſtituunt oleum Hyperici, mea quidem ſententia falluntur, nam ſimilitudo inter hæc in nulla alia re quàm valida eorum penetratione conſiſtit. Quanquam enim Hypericum odorem Reſinæ habeat, non tamen Opobalſamo reſpondet, quoad odorem illum Aromaticum, cuius facultate non parum reficiuntur ſpiritus vniuſcuiuſq; membri principalis. Atq; ideò ſubſtitui quidem commodè Hypericum poteſt in vno tantùm morbo, vbi requiritur penetratio (qui pri-

E mus

mus est modus) sed non generaliter in omnibus par ratio est eorum qui semen Hyperici pro Carpobalsamo reponunt. Sic quoque falsa est hæc substitutio, qui calamũ Aromaticum pro Myrrha accipiunt: tametsi enim in primarũ qualitatum gradib. conueniant, cùm vtrumque sit calidum & siccum in 2. ordine, & præterea quòd ambo sint odorata: in alijs tamen rebus minimè conueniunt: nam Myrrha subtilioris est substantiæ, Calamus verò lignosior & terrestrior, nec decet pro lacrima radicem accipere duram, aut Medicamentum quod teri aptum est, pro eo quod dissolui solet: sed lacrimam vnam pro altera lacrima, & radicem pro radice alia, modò conditiones omnes iam enumeratæ aſsint, sumere decet. Prætereà Myrrha prædita est facultate coquendi & maturandi humores, quod non facit Calamus: vt omittamus iam multas differentias alias. Sed hoc succedaneum desumtũ est ex isto libro, qui sub nomine Galeni circumfertur, qui multis nimium fidem tribuentibus, imposuit, quemadmodum etiam factum est ab ijs, qui pro Calamo aromatico ponunt Sphagnũ, quod secundũ Plinium & eius sectatores Muscus est arborum, quanquã neq; apud Galenum in alijs

in alijs locis in hac significatione, neq; apud Dioscoridem legatur. Hocq; vocabulũ Sphagnus, in notis nominib. attribuitur nõ Musco sed Aspalatho, Seseli Maßiliẽsi, & Saluię: At Gal. 7. lib. de compos. sec. genera, in vna eademq; cõpositione in cap. 14. accipit Aspalathũ & Sphagnũ, tanq̃ res diuersas. Hi itaq; meo iudicio, dupliciter errãt, primò, quòd ita facilè sibi persuadent Sphagnum esse Muscum arboreum, cùm neq; ex Galeno nec Dioscoride quicquã certi de eo habeamus, quia, vt diximus, multis plantis commune hoc vocabulum est. Deinde quòd vsurpent Muscum, qui facultatem à Calamo odorato planè diuersum habet: nam secundum Galenũ hic est calidus & siccus in secundo gradu, quanquã paulò siccior quàm calidior: sed Muscus est quasi tẽperatus, & potius declinat ad frigidũ, sicuti ipse quoq; Galenus dicit. Iã quàm malè res tẽperata ponat̃ loco alterius, quæ à medio recedit per duos gradus, facilè vnusquisq; deprẹhendere potest. Vnde nonnulli Medici meritò deridendi sunt, qui sine vlla ratione, vel diligentiore inuestigatiõe statim fidẽ adhibẽt, illis omnib. quę absq; discrimine à quocũq; autore scripta reperiũt. Huc etiã referendũ est magna ex parte id quod diximus in quinto capite,

de proportione Theriacæ. Nam ſi ſuccedaneum non eligatur, quod ſit eiuſdem conſiſtentiæ, ac ſimilis naturæ, ſtatim labefactabitur proportio triturabilium, & diſſolubilium, aut liquabilium: itemq; eorum, quæ craſſarum ſunt partium, aut ſubtilium & penetrantium: & ſic de proportionibus ſtatuentes idem erit iudicium de alijs. Hanc ſæpe ob cauſam etiam accidit, vt vniuerſa maſſa Antidoti deterior reddatur, cùm abſq; accurata harum rerum obſeruatione reddatur vel nimis liquida, vel ſolida magis quàm conueniat: Nam humidior facilè putreſcit, ſiccior verò facilè exhalat, & eam ob cauſam forſitan facta eſt aridiſsima Theriaca iſta, quæ Romæ fuit parata ante multos annos, præſentibus pluribus Medicis præſtantiſsimis, vnà cum excellent. Hieronymo Caleſtano Parmenſi, & iſtis patribus de Ara Cœli, ſicuti ipſemet Caleſtanus affirmat in ſuis obſeruationibus, quas ille accuratè compoſuit de omnibus compoſitis Medicamentis quæ in vſu ſunt. Verùm quidem eſt, non fieri poſſe vt vnum aliquod ſimplex reperiatur, quod per omnia penitus ſimile ſit alteri, ſed ſemper aliqua differentia adeſt: Quare in hac quoque re magis quàm alijs vllis natura ſummã meretur admira-

admirationem, quòd indiuidua omnia cum tanta varietate ordinauerit, vt non solùm in alijs rebus cõpositis, verùm etiam in manibus humanis vel aliorum animalibus per omnia nullum planè cum altero conueniat. Vnde Auicenna ait: Deum vnicuique indiuiduo tribuisse suum Temperamentum, quòd in ijsdem qualitatibus omnibus in alio etiam quopiam reperiri nullo modo queat. Quantò magis verò hoc in specie accidit? quod verum esse constat in Cinamomo & Casia, inter qua talis quidẽ est similitudo, qualis omnino inter duas species esse potest. Nihilo tamen minus differentia non exigua relinquitur, cùm Casia nonnihil astrictionis in se habeat, cuius planè est expers Cinamomum: quod ex Dioscoride desumitur, istam facultatem tribuens Casiæ, & nõ Cinamomo, tacitè innuens in illo nõ adesse. Et Galenus in 4. lib. de Medic. sec. loca cap. 4. in quo loco proponit simplicia contra oculorũ asperitatem, de Catalogo quorundã Aromaticorũ Medicamentorũ, quę sunt, Casia, frondes Malabatri, Amomum, & Cinamomum, differens, posteà subiungit, ita hæc differre, quòd Cinamomum habeat vim discutiendi, reliqua autem vnà cum facultate discutiendi quo-

que aſtrictione nonnulla prædita eſſe diſcuſ ſionem ſoli Cinamomo tribués, & hac nota ab alijs quæ ſimul diſcutiunt & aſtringunt, diſtinguens. Atq; eam ob rem regulæ ſuperius poſitæ de ſubſtituẽdis Medicamẽtis, intelligi debent in ijs, in quib. quàm maximè ſimilitudo duarũ ſpecierũ reperiri poteſt. In qua re etiam videtur mihi cõſideratione hoc dignum, quòd quantũ ad ſimplicia attinet, non erit multi negotij talia reperire, ſed videndum vt eiuſmodi in qualitate accipiatur ſimul & ſubſtantia, atq; ſatis eſt quòd genere conueniant. Vtq; hæc rectius intelligantur ſciendũ, quanquã ſit melius, vt loco radicis accipiat alia radix, aut ſeminis aliud ſemen, & ſic de alijs partib., nihilominùs neceſſe eſt, vt in eſſentia conueniant, id eſt, vt loco triturabilis & aridi aliud accipiatur, ꝙ etiam in puluerem facilè redigi poſsit, & nõ loco triturabilis diuerſum quippiam quod facilius in liquorẽ diſſoluatur. Vtq; inſuper ſuccedaneũ habeat eandem facultatem cũ principali Medicamento in primis, ſecũdis, & tertijs qualitatibus: nã hac ratione conſiſtentię mediocritas in tota maſſa nõ corrũpitur, nec vis ipſius vel qualitas totius cõpoſitionis minuitur. Nõ minus quoq; ſciendũ eſt, ſi de altero modo (qui quidem proprius
eſt)

est) substituēdi simplicia loquamur, tum potius respiciendū esse ad ipsam cōpositionem quā ad simplex aliquod per se. Volo autem hoc dicere, si iudicauerimus vnum simplex posse alterius loco accipi, hoc intelligendū esse, si in aliquo Antidoto vel cōpositione, in qua assumūtur medicamenta multa, vero aliquo careamus, & alterū eius loco accipiatur: & propterea non omne id quod in compositis obseruatur, statim simplicib. quoq; conuenit. Cuius rei exemplum ex Galeno sumi potest in lib. 1. de Antidotis cap. 14. vbi respondet: quinto deridenti eos qui pro Cinamomo accipiebāt duplū Cassię, & dicēti eos idē facere, ac eos q pro Phalerno, si fortè eo carerent, duplū vini ex aliqua taberna acciperēt: aut si aliqs nō haberet panē albū, duplū nigri comederet, ac dicit rē esse diuersam, quoniā hęc difficultas habet locū, quādo vti volumus vno simplice solo, nam tum nō licet pro aliquo perfectiss. accipere aliud debile in duplo pondere: quia non solùm nihil iuuabit, sed in duplo noceret tam exterius applicatum quàm per os exhibitum. Sed quia compositio ex multis reb. ideò conficitur, vt augeatur vis compositi, si aliquod simplex admodum validum cum multis alijs debuerit misceri, cuius auxilio

 vires

vires aliorum intenduntur,& illud validum ſimplex non haberi poteſt, non deterius fiet compoſitum, ſi loco iſtius perfectiſsimi, accipiamus duplũ pondus alterius ſimilis naturę: quanquam virib. ſit inferior iſto priori. Et quod de Cinamomo & Caſsia dicit Gal. idẽ de alijs ſuccedaneis intelligi debet, cùm loquatur propriè de ſecundo modo: quandoquidem nunquã aut rarò ſaltem accidit, vt aliquod ſimplex vſurpare cupientes, omnes eius facultates, quanquã multis ſit præditũ, requiramus: ſed tantùm vna vel duæ ſufficiunt, quæ ad morbi curationem conducunt, reliquis poſthabitis quæ nihil ad eum faciunt. Vt ſi curare vellem dyſenteriam in qua factis vniuerſalib. euacuationibus, opus eſſet Medicaméto exiccãte vlcus, & corrigéte putredinem, (ſi qua ibi eſſet) & aſtringente fluxum, neq; mihi ad manus eſſet Quinquefoliũ, quod mirificè hæc omnia præſtat, acciperem pro eo Lentiſcum: quæ non minus efficaciter ſanat dyſentericos, nõ curans quòd Quinq; folium habeat alias multas proprietates, quæ in lentiſco nõ reperiuntur: vt ſanandi dolorem coxarum, vitia pulmonum & epatis, circuitus feluum, comitiales, cõmotionẽ bilis, & alia, de quib. nihil dico, quoniã hoc loco nõ requirũtur.

At ſi

At si in Theriaca aut alia celebri compositione vellem substituere aliud simplex pro Quinquefolio, non potero sine graui errore accipere Lentiscum, quoniam Quinquefolium ad Theriacam adhibetur, nō quòd vna aut altera sua facultate, sed omnibus simul iuuet, vt vim & efficacitatem aliorum simplicium sua facultate augeat, quia consilium fuit eius qui composuit primum, eiusmodi Antidotum, quæ bona esset ad omnes affectus se cōficere velle: quapropter necesse est nos inuenire simplex, quod omnes facultates Pentaphilli, aut, (si hoc fieri nequeat) maiorem saltem illarum partem, & exquisitè eas quæ sunt maioris momenti repræsentet. Atq; vt breuiter dicam, hæc substitutio, quæ fieri solet in vno simplici tantùm, quocunque modo id fiat, necesse est, vt iuxta primam illius speciem, quā diximus nominari impropriam, sumatur. Et si de succedaneis non aliter, quàm in cōpositis medicamentis intelligi debent, sermo instituitur, opus est, vt omnes regulæ superiores obseruentur, ne aliquid in illa substitutione desideretur. Quare si tale aliquod simplex occurrat, in mistione cum alijs non attendendum ad illam similitudinem desumtam à pane & vino, quam Gale-

nus indicat disputans contra quintum, sed potius ad alteram, quæ ab actionibus humanis sumitur, vbi in naue ædificanda, aut aliqua machina transportanda, si non vnus aliquis satis robustus ad eam rem exequendam reperitur, illius loco decem vel plures, qui illius locum supplent, substituuntur.

DE TROCISCIS *Viperinis.*

CAP. IX.



NTE paucos annos nondum cognoscebatur vipera, & propterea, vt suprà diximus, maiores nostri Medicos barbaros sequuti, pro illa sumebant Tormentillam & Dictamnum, quorum alterutrum redigebant in pastillos: sed nostro tempore adeò innotuerũt, vt etiam ab omni circulatore colligi posint. Ideoq; nõ ero longior in enarrandis notis quibus cognoscitur: idq; eò etiam magis quod excellentiss. & doctiss. Petrus Andreas Matthiolus in suo libro isto, quod in omnium manibus versatur, certis omninò notis eã descripserit. Quare tantùm addam, quo pacto eligi debent laudabiles & idoneæ pro Theriaca

riaca paranda. Debent itaq; viperæ nõ quouis anni tempore capi, multò minus in media æstate, quemadmodum nonnulli faciunt. Nam Theriaca ex eiusmodi viperis cõfecta, illis qui eam assumunt magnam sitim affert. Neque etiam statim, posteaquam ex ipsorum cauernis (in quibus toto tempore frigidiore se abscondunt, & quasi stupidè vix se mouent) rursum proserpere solẽt, nam quamdiu intra terrã latẽt, retinent intra se quandam venenatam & perniciosam qualitatem, quæ posteà alijs temporib. solet exhalare, & pręterea tamẽ sicciores & frigidiores sunt, & magis extenuatæ quàm alio vllo tempore. Quare anteà illis permittendũ est, vt aliquantisper in liberiore aëre obambulent, & vescantur cibo illis consueto, vt sunt nonnullæ herbæ, & inter alia animalcula, Cantharides, Buprestis, & Erucæ pini. Et præ alijs omnibus Galenus in libro de vsu Theriacæ ad Pamphilianum tradit meliores esse, recenter captas & nõ diu inclusas: nam hæ vt famelicę sunt venenosiores. quod facilè etiam conijcitur à morsu hominis ieiuni. Aliæ verò saturæ adueniunt ex campis. Legitimum igitur & magis conueniens erit capturæ tẽpus circa finẽ veris, ne tamẽ attingat initiũ æstatis, nisi veris cõ-

stitutio

ſtitutio magna ex parte fuerit frigida & hiemi ſimilis. Viperæ præterea grauidæ tã-quam inutiles ſunt abijciendæ. Color earum debet habere neſcio quid de luteo aſperſum, & ſint agiles & promtæ ad mouẽdum, & potiſs. quæ de vniuerſo corpore ſępè caput extollant, oculi ſint rubedine tincti, inter ſerpendum obliqua, torua & elata. Præterea caput debet eſſe latum, venter rotundus & prominens, & totum corpus ſinuoſum: locusq́; vnde emittit excrementa ſit prope extremam caudam, quæ etiam non ſit in gyrum circumuoluta, ſed nonnihil contorta. Et ſi haberi poterunt fœminæ omnes, melius erit quàm mares accipere. Dignoſcuntur autem à maribus ex ingreſſu earum magis firmo & quieto, & in dentibus quoque caninis, quorum mas tantùm duos, fœmina autem, vt ſcribit Nicander, plures habet. Critonis fuit ſententia (quemadmodum Galenus refert in libro de vſu Theriacæ) viperas eſſe capiendas, aut in fine veris, aut in autumno, & eas quidem quæ eſſent corpulentiores & grandiores. Cùm igitur viperas eiuſmodi, quales iã deſcripſimus, habuerimus, primùm ad 4. digitos, & nõ plures, caput & cauda amputetur, idque ſi grandiores fuerint; nam mi-
noribus

noribus minus quoque eſt auferendum. Quæ partes propterea abijciuntur, quia paucam habent carnem, eamque duram, & quòd ſint reliquis venenoſiores. Animaduertendum quoque eſt, eas eſſe validiores, quæ poſtquam caput & cauda reſecata ſint, per aliquod tempus ſeſe adhuc moueant, & ſatis multum ſanguinis emittant, eumque non ſtatim effluere ſinunt: ideoq; iſtæ quæ ſtatim moriuntur, neque ſe mouent quicquam, nullius ſunt momenti. Poſt iſtam amputationem, interiora viſcera ſunt auferenda, & reliquum corporis diligēter à pelle ſeparandū, quemadmodū etiam omnis pinguedo, & poſteaq̃ diligēter bis térve ex aqua ſemper recenti mundatæ fuerint, imponantur in ollam fictilem, aut aheneum puriſs. cum ſufficiente parte aquæ fontanæ, & ad ignem ex carbonibus paratum, aut alium expertem fumi, (ſunt qui ſarmenta vitium hic max. probent.) Inijcito quoq; in vas parum ſalis recentis, additis aliquot frondibus Anethi viridib., quod commodè eo tempore reperiri ſolet: Vbi etiam eſt obſeruandum, ſi viperæ in æſtatis initio ſint captæ, tum nihil ſalis eſſe imponendum, alioqui Theriaca ſitim excitabit, ſicuti etiam illa, ad quam aſſumtæ ſunt viperæ

colle-

collectæ in locis maritimis & ſiccis: aut in paludibus aquæ ſalſæ. Quòd ſi fortè fortuna inter ebulliendum aqua efflueret, ſtatim aliquid frigidæ eſt aſpergendũ, tamdiu quoque coqui debent, donec facilè caro de ſpinis ſeparari poſsit, ſi edendo eſſe ſolerent, diligenterq́ue cauendum, ne intra carnem aliquid de ſpinis remaneat: idq́ue ſi fieret, omni ſtudio eſt auferendum, quanquam ſi viperæ ita vt optimè coctæ fuerint, non facilè hic error committatur. Propterea laborandum eſt, vt vniuerſæ viperæ ſint grandes: quod ſi fieri ſemper nequeat, coctio debet fieri per gradus, primum ex olla ſumendo iuniores, nam ſic per longiorem coctionem grandiores fient magis friabiles, & caro facilè à ſpinis decidet. Nam hæ cùm planè ſimiles ſint carni, vix ab ea poſſunt diſcerni: quanquam poſteà in ſiccis paſtillis facilè appareant. Atque omnia hæc ſecundum commemoratum modum, primum vidi obſeruari ab Imperato, qui ſolebat idoneo inſtrumento ſæpius iuuenes viperas inſpicere, & ſtatim cùm coctæ eſſent ex olla extrahere: hocq́ue ſi obſeruetur, vniuerſæ ſpinæ adhærent ſceleto, & trunco maiori medullæ ſpinalis, nihilq́ue ex ipſis

carni

carni admiſcetur. Obſeruaui autē ex vipera quātumuis magna nō plus carnis quàm pondere 2. drachmarum colligi poſſe, & ſi illius affuerit copia maior, ſuſpicio eſt illum aliquid in ſe ſpinarum adhuc continere. Hæc coctio ita ritè facta, tanti momenti eſt, vt in ea omnis conſiſtat aut bonitas aut imperfectio Antidoti. His eo modo peractis, poſteà caro collecta diligenter in mortario contunditur, addito parum panis benè cocti & fermentati, ex recenti & puriſsimi farina facti: cuius certa menſura definiri nequit: quanquam aliqui accipiant æqualem quantitatem cum ipſa carne: nonnulli minus nimirum tantùm dimidiam, alij tertiam ſolummodo partem: ſic Galenus interdum etiam ponebat quartam partem, & alibi quintam: prout animaduertebat illius ſatis eſſe ad carnem contundendam. Quam etiam mēſurā Bononienſes vſurpare ſoliti ſunt, quēadmodū P. M. Lucas Ghinus olim Pręceptor meus mihi ſignificauit. Crito, ſicuti Gal. refert, carni ex decem viperis collectæ addebat panis vnciam vnam. Sed hīc animaduertendum eſt, Theriacā fieri aridā, ſi panis nō fuerit benè coctus: quare melius eſt ille rectè coctum per duos aut tres dies

ponere

ponere in loco perflabili, vt exiccetur nonnihil: & non simul cum carne contundere, sed vtrumq; seorsim: atque posteà miscere simul. Hic panis ita siccus in puluerem redigi, & per cribrum angustissimum cribrari, ac deinde misceri cum carne debet. Cúque vtrumque fuerit diligenter tritum & commistum, vt ne minima quidem porticuncula amplius de vipera, quæ non sit bene contusa, appareat, ex ista posteà massa parentur Trocisci aut Pastilli, qui debent esse tenerrimè & optimè subactæ, idq;, si fieri potest, sine iusculo, aut saltem cũ ipsius exigua quãtitate, hoc enim modo multò celerius exiccãtur. Contrà, si panis in iusculo viperarum maceretur, & posteà simul cum carne tũdatur, tales Trocisci difficulter exiccentur, & sunt in causa, vt posteà caro putrescat, & panis fiat acidus. Trocisci ita parati solent in aliquo cõclaui superiori collocari ad exiccandum, versus meridiem, vbi sol maiori parte diei versatur, non tamen radij eius Trociscos attingant, vtq; penitus exiccari possint, crebro verti debent: nam si aliqua exigua illorum portio humidior restet, facilè putrescunt. Quando ita benè sunt siccati, remoueantur paulò longius ab illo loco priore, (attamen in

eodem

eodem relinquantur conclaui) ad quem sol peruenire potuit, atque semper vertantur, ad quod quidem vtrumque satis erunt dies quindecim. Aëtius quoq; laudat versus septẽtrionẽ eos poni. Tandẽ si omnes sicci fuerint, vngantur parũ contra putridinem cum Opobalsamo: quam curã adhibuerũt Medici Bononienses, admoniti ab Aëtio, q etiã voluit, vt Opobalsamũ dum formãtur Trocisci adhibeatur. Postremò asseruentur in vase stanneo, vitreo, aureo, vel argenteo puriss. Quanquam plumbum candidũ vel stannũ (vt vulgò vocant) improbetur quando admistum habeat plumbi, quia in eiusmodi vasis quædã rubiginis species solet colligi, quæ malam qualitatem illis conciliat. Ideoq; optimum est, vt Theriaca quoq; quamprimum Trocisci ad manũ sint, ipsa quoq; conficiatur, quanq etiã si rectè asseruent tres annos & paulò plus durare soleãt, modò sæpius cũ linteolo mundentur à puluere, & situ albo, qui progressu tẽporis obducuntur, vnde solent exedi & cariem sentire, & priuari suis omnibus viribus. Præterea quoq; propter ipsam Theriacam, illa statim parari debet, nam cùm per quadraginta dies, quemadmodũ paulò post dicet, quotidie aliquid mistionis fieri necesse sit,

quo fermentatio sequatur melior, ideò ad-modum idoneum ad hanc actionem est tẽ-pus calidum, Quod si in autumno conficia-tur, & superueniet tempus hybernum, sim-plicia omnia quasi ignaua permanebunt, & multò tardius calor naturalis in illis exci-tabitur.

DE TROCISCIS *Scylliticis.*

CAP. X.


VLTAE & quasi infinitæ a-nimaduerti res, & diligenter considerari debent, si volu-mus hanc Antidotũ quemad modum fieri potest, diligen-tissimè præparare. Occurrunt autem tam multę difficultates, vt ex illis ob eorũ mul-titudinem vix nos possimus extricare. Nã Galenus & reliqui vniuersi, qui docẽt The-riacæ compositionem secundum sententi-am Andromachi, volunt Scyllam non ac-cipi nimis inueteratam sed recentissimam, & quæ iam primum è terra eruta sit: reij-cientes tanquam inutilem & malam quæ paulò ante sit collecta: præterea colligen-dum

dum esse tradunt, quando caulis vel scapus sit siccus: nam eo tempore omnis vis in radice retinetur: idque fieri nequit, nisi media æstate aut saltem tempore messis: nam ante hoc tempus vel florem fert vel etiam semen. Iubent postea, pastillos viperinos fieri debere, quando iam omnia ad Theriacam parandam sint in promtu: Nam Trocisci viperini propter istum puluerem, qui sæpè in illis quasi efflorescit, facilè aliquid de suis viribus amittunt. Cùm verò illi quoque ipsi dixerint, hosce pastillos esse parandos in fine veris: videntur hæc inter se discrepare, quòd statim post Trociscorum viperinorum præparationem fieri debeat Theriaca, & quod assumenda sit Scylla recens ad faciendos istos pastillos, cùm hi fieri non possint, nisi media æstate, illi verò in fine veris. Hæcq; difficultas eò maior est, quòd Aëtius etiam ex sententia Galeni vult hosce de Scylla Trociscos ex alijs omnib. primũ fieri debere: quoniam vt benè exiccentur multos dies requirunt. Necesse est itaque, vt vel in æstatis fine Trocisci de Scylla parentur, & asseruentur vsque ad vernum tempus sequentis anni: nam quamprimum alteri de vipera sunt facti, Theriaca

paratur: vel viperinos Trociscos ad finem æstatis transferre, quando Scyllitici benè fuerint exiccati: & quocunque modo hoc fiat, quædam præcepta ex autoribus præcipuis non obseruabuntur. Et videntur minus errare illi qui Scylliticos factos æstate elapsâ accipiunt, ad parandam postea Theriacam in æstatis sequentis principio: cùm viperini fuerint præparati in fine veris: quoniam multum refert, quemadmodum suprà monuimus, ad Theriacam iam paratã adhibere tempus calidius, vt per quadraginta dies quotidie misceri & agitari possit. At si ita agamus, Scyllitici hac ratione inueterascent: atque insuper pharmacopola nimis erit incertus, an ita per longa interualla in Theriaca paranda versari, donec hoc atque illud fuerit in promtu velit, cùm alioqui satis moræ obijciatur, dum colligãtur ex tã diuersis & remotis locis tot simplicia. Quid igitur erit statuẽdum? Censeo optimum esse, vt primum pastilli viperini stato tempore fiant, id est, in fine veris: Nec nos impedire debet, quòd tam diu asseruandi sint, donec fiant & exiccentur quoq; Scyllitici. Nam tametsi Galenus cap 7. lib. 1. de Antidotis dicat, quòd multò melius sit conficere Theriacam paulò postea quàm parati

parati ſint viperini Trociſci propter cauſam iam indicatam : nihilo tamen minus ipſemet in eodem loco affirmat, eos poſſe ſine corruptione euidenti per integrum quoq; annum aſſeruari: imò ſi fuerint benè ſiccati & diligenter ſepoſiti, ſolent etiam in quartum annum durare, quare in tam breui tempore, quod intercedit inter finē veris & mediū vel finem æſtatis corrumpi nequeunt. Hoc tamen obſeruandum eſt, vt quamprimū fieri poſsit, habemus Scyllam, hoc eſt ſtatim poſteaq̃ caulis & folia exaruerint, quo Antidotus in vna æſtate abſolui poſsit, nec calidiore tempore carere cogatur, quod diximus neceſſariò requiri, idque 40. dierum ad fermentationem totius maſſæ: & quanquam tum principiū autumni ſubſequatur, parum hoc refert, cùm notum ſit omnibus, initium autumni æque atq; finē æſtatis eſſe calidum. Nec multum refert etiam, quod Aëtius dicit, paſtillos Scylliticos primo loco fieri debere: nā hoc non aliam ob cauſam voluit obſeruari, niſi propter accuratam exiccationem: quoniā plus temporis in his exiccandis q̃ viperinis requiritur. Et apparet Aëtiū ideò hoc tradere, vt ſcilicet ſatis tēporis ſuperſit, vt (intereà dum Scyllitici primum facti exiccentur)

tur)eodem tempore ad Antidoti præparatioñe viperini quoq; haberi possent. Atque ita omnes dubitandi occasio, quemadmodũ vnicuiq; hæc consideranti patebit, facilè adimetur. Vt igitur ad rem reuertamur, Scyllã benè succiplenã è terra erues, quando folia & caulis erũt omninò arida, idq; exquisitè, tum quãdo vti illa iã volueris: sitq; mediocriter grandis, à qua auferatur exterior cortex, & omne lignosum & aridum: postea fermento duriore, & ex frumento recenti, quod etiam maturum fuerit, facto, totam inungas, non creta aliqua, quẽadmodum nonnulli facere consueuerunt. Nam primum hæc est sordida, deinde ad se nescio quid boni ex ipsa massa trahit, & citò coquitur. Sic itaque cooperta optimè in cineribus calidis recondatur, & supra eos imponant carbones accensi, & nõ prius inde auferatur, quàm apparuerit etiam totam massam esse benè coctã, & assatã instar crustæ. Quod tamen idem fieri potest in furno, in quem panes sunt impositi, si in ollá benè cooperta imponãtur: & vbi pasta fuerit sicca, rursum eximatur. Quòd si non satis esse coctã existimauerimus, rursum eadem Scylla pasta obduci, & eodem modo coqui debet. Nam quæ imperfectè ita fuerit to-

rit tosta, non sine periculo graui membrorum interiorum exhiberi potest, quemadmodum Dioscorides quoq; monet. Cognoscitur autem, quòd rectè sit cocta, si pũgendo eam cum festuca aliqua, illa facilè penetret: aut comprimendo duobus digitis sine difficultate aliqua dissoluatur. Tradit autem Dioscorides alterũ quoq; modũ coquendi: nam eius frustra iubet ebulliri, & toties aquã illius mutari, donec in Scylla nihil amaritudinis aut acrimoniæ relinquatur, accipiẽdo solùm partes interiores, & auferendo tunicas exteriores vsq; ad viuum, & abijciendo satis multum de primis corticibus. Hæc Scylla ita diligenter cocta, benè in pila tundatur, & deinde admisceatur farinæ Erui albissimi (quoniam minus albicans, nimis est amarum) quæ per cribrum angustissimũ trãsierit, ea quantitas, vt ad tres partes Scyllæ sumantur duæ Erui, quẽadmodũ quoq; Andromachus tradit. Hoc Gale. 1. de Antid. scribit: cui plus fidei adhibẽdum quàm libro de Theriaca ad Pisonem: in quo duplũ Erui sumitur: cùm ibi in alijs multis reb. quædã retractet, de quibus aliter in libro ad Pisonẽ sensit. Sed hoc experientia quoq; melius põt depræhendi. Nã Aëtius de Theriaca secundũ Galeni sen-

tentiam differens, atque coniungens simul quoq; cum eo Andromachũ, vult etiam ad tres Scyllæ esse accipiendas duas farinæ Erui partes: & posteà addit, quod interdum æquale pondus vtriusq; sumatur. Atque eam quidem differentiam inde ortam, quòd interdũ Scylla humidior vel siccior, quàm vt in Trociscos redigi queat, atque ideò opus esse plus aut minus farinæ Erui admiscere. Attamen si cum duab. partibus solum parari semper potuerit, procul dubio minus errabimus: nã ita fiet vt Scylla sit istius qualitatis, & ea arte cocta, quẽadmodum esse decet: quæ si erit eiusmodi, non opus erit superuacaneã humiditatem ipsius cum maiore quantitate Erui corrigi: & hanc credo fuisse causam, quòd Gal. aliter senserit in libro de Antidotis, quàm in lib. I. de Theriaca ad Pisonẽ. De hac igitur massa benè cõtusa & cõmista fiunt rotulæ exiguę, & inter formandũ digiti vngendi sunt oleo Rosaceo, sicuti docet Aëtius: quanquam aliqui hoc omittant. Postea in illis exiccandis & reponendis ea, quæ diximus de Trociscis viperæ omnia sunt obseruãda. Mesue quoque monet, Scyllam quæ planè sola absq; altera in agro reperiatur, abijciendum tanq̃ venenosam admodũ: & illam

accipien-

accipiendam esse quæ plures habet alias vicinas: quæ admonitio propter maiorem securitatem non est negligenda.

DE TROCISCIS HEdychrois.

CAP. XI.



ARIAS appellationes hi Trocisci Hedychroi sortiuntur, nam interdũ vocantur, Rotulæ, & pastilli Hedychroi, interdum generaliter Hedychroi: nonnunquam Magma Hedychroum. Trociscorum & Pastillorum quidem appellatio est clara, Magma verò nomen græcum est, & nõ adeò vsitatũ, quapropter nonnihil obscurius, sed nihil aliud significat, quàm vnguentum condensatum, aut pastam vnguenti: nam generaliter omnia vnguenta sunt consistentiæ mollis: quæ si in solidam formam redigantur, vocantur Magmata: Et hinc factum est, quòd feces vnguentorum vniuersæ hoc nomen fuerint sortitæ, quemadmodum apparet ex libris Gal. de compos. Medicament. secundum genera, in

quibus crebrò inuenitur Magma de Malobatro, & Magma de Myrobalano. Nam & in vnoq; simplice, modò esset Aromaticũ, duram eius consistentiam solebant vocare Magma. Et hoc pacto isti Trocisci nostrates quoq; qui à Neapolitanis fœminis nominantur Pezzeti, id est, frustula, Magma vocari possunt, cùm sit suffumigium reductum ad formam solidam. Magma itaque dicitur hæc compositio odorifera, quia ex rebus aromaticis constat, & consistentiam aridam habet: ideoque spissamentum quoque nominabant. Hedychroi verò nomen acceperũt, à suaui & grato colore. Huius descriptionem Andromachus versibus cõpræhendit heroicis: & eo modo Galenus quoque describit: eamq; formã præ alijs omnibus probat, quòd non solùm mutari aut labefactari nequeat, propter versuum rationem: sed etiam, quia in aliorum descriptionib. quædam simplicia omissa sunt, quæ in hac reperiuntur: vt sunt Amaracus, & Marum: cùm insuper magnum in ponderib. sit discrimen. Vnde conijcitur, quòd Gal. forsitan non amplius probauerit istos Hedychroos, quos descripsit ex sententia Magni in libro de Theriaca ad pisonem: quia sunt longè quoad pondera diuersi, ab istis quos,
Andro-

Andromachus proponit. Quanquã in ipsis simplicib. ex quib. parantur nulla sit differentia. Pari ratione non habet pro veris & bonis, quos descripsit in libro ad Pamphilianum, de vsu Theriacæ: quandoquidem diuersi sunt: tam quoad simplicia, quàm pondera, ab illis, & ab Andromachi Hedychrois. Prætereà relinquamus illos etiã quos Aëtius composuit, quanquã dicat eos secundum Andromachi sententiam conscriptos, & desumtos ex Galeno: Nam ab omnib. iam enumeratis variant: Et retineamus illos vnà cum Galeno, qui describuntur 1. lib. de Antidot. conueniuntq; cum illis, quos Andromachus versibus exposuit: nam suprà nobis ostensum est, quanto artificio præ alijs omnibus fuerint compositi. Est autem talis eorum compositio.

Accipe Aspalathi.
Asari.
Mari.
Amaraci. Singulorum, dra. ij.
Calami odorati.
Schænanthi.
Costi.
Phu pontici.
Cinamomi.
Opobalsami.

Xilo-

Xylobalſami. Singulor. dr. iij.
Folij.
Nardi indici.
Caſsiæ.
Myrrhæ.
Croci. Singulorum dr. vj.
Amomi, dr. xij.
Maſtiches, dr. j.

Miſceantur omnia ſimul cum vino phalerno dulci, & fiant Trociſci, ferramento aliquo, aut alio inſtrumento idoneo, quod dum formantur rotulæ crebrò vngi debet, quemadmodũ & manus, Opobalſamo poſito in deſcriptione, cuius quantitas in hac actione tota inſumi debet. Trociſci poſteà facti ad ſimilitudinem priorum, de quibus iam diximus, quoad magnitudinem & ſubtilitatem, ſiccentur & aſſeruentur, ſicuti de alijs dictum eſt. Poſſunt tamen confici eo quoque modo, quem tradit Aëtius, qui iubet arida contundi in pila, & cribrari ſubtiliter. Crocus verò cum vino contunditur: & deinde adiunguntur illi Myrrha & Maſtiche, & diligenter diſſoluuntur, poſtea inijcitur Opobalſamum, & deniq; quæ in puluerem ſunt redacta, & vinum ad formandos Trociſcos vltimo loco addetur.

De modo

DE MODO PRÆPArandi Theriacam.

CAP. XII.

SATIS iam diximus de Trociscis, restat vt de modo & artificio parandi Theriacam disseramus. Primùm itaq; eligendæ sunt radices firmæ, quę habeat cortices æquabiles, & sine rimis, (nam rugosæ si sint indicio sunt esse obsoletas,) retineantq; colorem natiuum & viuidum, sint bonæ substantiæ, & quæ inter rumpendum non emittant aliquid pulueris, itemque numerosæ & æquales, nam si grandes & paruæ commistæ sint, non peruenerunt ad suam maturam perfectionem: & potiss. quando non habeat propriam & vsitatam magnitudinem. Idem dicēdum de corticib., de inuolucris, & alijs rebus similibus, quibus semina inuoluuntur. Semina autem debent esse solida, cortice claro, non rugoso. Flores quoque vegeti & qui siccati suum retineant colorem, ac si essent adhuc virides. Succi & lachrimæ,

chrimæ, & alij liquores, non exusti aut nimis inueterati, & quantum fieri potest sint efficaces, quoad proprium odorem & saporem: quod idem & de alijs omnib. iam commemoratis intelligi debet, sed paulò post explicabimus exquisitè bonitaté vniuscuiusq; simplicis, & quo pacto adulterata & illegitima rectè inter se dignosci possint, itemque quæ pars ex vnoquoque sit propriè accipienda: vt planè nihil eorum quæ ad harum rerum cognitionem necessaria sint, omittatur: Nunc verò præparationis rationem expediamus, sumantur itaq; vniuersę radices, virgulta, folia, cortices, flores, fructus, semina, succi & aliæ plantarum partes, quæ in puluerē redigi possunt, & simul contundantur: talia sunt, Scordium, Calamenthū, Marrubium, Stœchas, Dictamnus, Polium, Chamædris, Hypericū, Centauriū, Zingiber, Iris, Rhaponticum, Quinq;foliū, Costus, Nardus Indica, & Celtica, Gētiana, Meum, Phu, Aristolochia tertia, Petroselinum, Ammi, Anisum, Seseli, Fœniculū, Daucus, Cardamomū, Trocisci Scyllitici, Viperini, Hedychroi, Piper longū & nigrū, Rosæ siccæ, Crocus, Terra Lemnia, Chalcitis vsta, Amomum, Cinamomum, Cassia, Carpobalsamū, Acaçia, (si non fuerit humida) Castoreum,

ftoreum, Bitumen, Schœnãthos, folia Malo-
batri. Hæc omnia iam enumerata contun-
denda sunt in pila vel mortario æneo, sępius
anteà vsurpata, qui nihil contraxerit in late
ribus æruginosi, vel in lapideo ex saxo du-
rissimo, ex quo inter contundendum non
frustula aliqua exiliant, & cum Medicamen
tis misceantur. Atque existimo quod ex sa-
xo illo, quod Italicè vocatur Pietra de mi-
schia, erant facta mortaria illa, quæ Galenus
Aegyptiaca vocat, nam porphireticum mar
mor ex ista regione apportabant Romani
ad faciendas columnas grandissimas & alia
architecturæ opera: quia lapis est duriss. qui
propterea à pictoribus quoque ad teren-
dos subtiliter super eum suos colores expe-
titur. Quòd si contusa iam fuerint omnia,
per cribrum subtilissimum cribrant, & rur-
sum de nouo partes grossiores contũdun-
tur, & iterum per cribrum traijciuntur, do-
nec omnia optimè cribrata fuerint.

Agaricum per se solùm debet cõtundi &
cribrari, & postea põdus debitũ accipi & mi
sceri cũ alijs reb. iã dictis, ita enim venæ istæ
lignosę in partib. interiorib. nõ compręhẽ-
dentur in ipsius põdere, sed vt inutiles abij-
cient, cuius rationẽ afferemus in examine
paulò post, quæ de omnib. simplicib. Theriacę
insti-

instituemus, quando particulatim de Agarico nob. sermo fuerit.

Semen Thlaspi & Napi, si simul contundantur, solent in fundo mortarij propter ipsorum tenacitatem in vnam massam coagmētari, quare vnumquodq; per se in alio mortario contundi debeat, & postea in vino macerari donec optimè dissoluantur, & ita dissoluta cum gummis & succis commiscentur, quæ ipsa quoque in vino dissoluuntur, vt est Myrrha, succus Hypocistidis, & Glycyrrhicæ, Sagapenum, Opopanax, Opium, & Crocus quoque, si tibi videtur ita conuenientius esse cùm sit humidus, & non potius volueris eum siccare, vt in puluerem redigi posit. Hæc enim omnia propterea in vino macerentur, quo facilius contundi & dissolui posint.

Hypericum quoque cùm sit resinosum rectius per se solùm contunditur, & in vino dissoluitur.

Quemadmodum etiam Acacia & Bitumen.

Thus insuper leuiter per se solùm contundi debet, nam si ad alia adijciatur, fit tenacius quàm vt posit teri, sed cùm ita fuerit contusum, posteà addendum ad illa quæ in vino sunt dissoluenda. Gummi simul cum

cum Thure poteſt contundi, aut per ſe ſolùm, aut in vino macerari ſicuti reliqui liquores.

Vtq́; vno verbo dicam, omnia humida in vino diſſoluuntur, & ſicca in puluerem ſubtiliſsimam rediguntur, & aſſeruantur ſeorſim in duobus vaſculis: vbi obſeruare debemus, humida prius per pannum lineum anguſtum eſſe percolāda, quo omnis immundicies, quæ in lacrymis, gummis & ſuccis ſolet reperiri, auferatur, aut per ſetaceum exprimenda, quem modū in vſu habet Ferdinandus Imperatus, quoniam minus de illis perit, cùm pannus ſemper imbuatur liquore aliquo.

In rebus quoq; quę teruntur obſeruandū eſt aliud præceptum diligēter, quod laudat Galenus plurimùm, eſtq́; inuentum Critonis Medici. Sumantur duæ Membranæ, & vna ſtrictiſſ. ligetur ſupra mortarium in quo ſunt ea quæ teri debent, in cuius medio foramē fiat paulò maius, quod ſit capax cochlearis perforati ferrei grandis, atq; etiam vnius manus, vt poſsit eximi illud quod iam eſt tritum ad cribrandum, ſupra iſtam cartam vel membranā ligetur altera ſimilis, quæ in medio habeat foramē anguſtius, vt tantùm piſtillū immitti poſsit, quod ideò fit, ne inter

terendũ puluis in aërem euolet, quoniam ſemper inter contundendam ſurſum agitatur. Quæ ſecũda carta non debet remoueri, donec nihil pulueris in altũ ſublati amplius adhærent, & ſi quid adhæſerit in parte illius inferiore, digito poteſt decuti. Deinde remota ſecunda carta, per foramen primæ cũ cochleari eximatur omne id quod tritũ eſt, & imponetur cribro ad cribrandum, quod etiam dum tractatur cum alia carta coopertum eſſe debet: & ſi putauerimus aliquid adhæſiſſe, digito aliquoties decutiendum, & poſtea carta auferenda, pennaq; anatis aut gallinæ carta & cribrum inferius & ſuperius expurgandum, vt omnis puluis decidat, & deinde rurſum partes groſsiores teruntur, quę per cribrum tranſire non potuerunt, poſtea ſecũda carta iterum imponitur & vt antea pergendum. Poſtremò penna prima & ſecunda carta, mortarium & cribrum ſimul mundari diligenter debent. Dum ita trita ſeorſim, ab humidis anteà diſſolutis in vino, fuerint ad miſcendum in promtu, neceſſe eſt vt Terebinthina liquetur in balneo Mariæ, deinde ſimul accipiatur Galbanum & Styrax, & cum piſtillo ferreo mundo contundãtur, addendo parum mellis crudi & benè agitãdo cum manibus,
viden-

videndum vt benè vniantur & miſceantur. Quo facto adiungatur aliquid quoque mellis ad Terebinthinam liquefactam, adhuc in balneo Mariæ exiſtentem, & ſi conſpiciantur benè eſſe ſimul vnita, in idem vas Terebinthinæ imponatur Styrax & Galbanum, & ſimul liquefiant in vaſe iſto quod in aqua ebulliente conſiſtit, & aliquantiſper bulliant, neutiquam tamen aliquid præterea mellis adijciendo.

Quadruplex itaq; ratio erit earum rerum, quæ miſceri debent, quòd cùm difficulter exprimi poſsint, quatuor vaſis inter ſe diſtinctis, totidem quoq; notas attribuemus: ſitq; primum vas album, in quo recondantur pulueres: nigrum alterum in quo diſſoluta in vino: Terebinthina verò, Styrax & Galbanum, quæ colliquata ſunt in balneo Mariæ, habeant tertium vas cæruleum: melli deniq; deſpumato, quod requiritur ad incorporandum reliqua omnia, quartũ viride attribuatur: & ſit etiam loco quinti vaſis mortarium magnum, in quo miſceri poſſunt quatuor iſta omnia. His ita ordinatis, ſic deinceps, pergamus, vt dum vas cæruleum in balneo poſitũ eſt, omnia ea quæ ſunt in nigro vaſe in mortarium quod eſt quintum vas, transferãtur, & accipiatur

portiuncula ex albo vaſe in quo ſunt pulueres, & miſceatur in mortario cum illis quæ fuerunt in vaſe nigro, quæ vino ſunt diſſoluta, & quantitas puluerum eò augeatur, donec fiant ſatis craſsi, & omnes bene miſceantur: Deinde circiter tertia pars illorum quæ ſunt in vaſe ceruleo ſumatur eaq; tepida ſint, (nam aliter de nouo indureſcent,) & miſceantur bene in mortario cum alijs: ad quam quidem operam exequendam homo robuſtus & validus requiritur. Si viderimus omnia bene miſta, & in vnũ corpus eſſe redacta, & incipiant ea non nihil condẽſari, tum imponatur tertia pars ex vaſe viridi, in quo eſt mel leuiter coctũ, & deſpumatum, vt ab eo vniuerſa illa pars cerea ſit ſeparata: deinde rurſum parum imponatur ex albo vaſe, poſteà nonnihil mellis, & rurſum aliquid ex ceruleo, idque tepidè ſemper, & vltimo loco quod reliquum eſt in vaſe albo, atque in viridi: ſemper circumagitando & miſcendo omnia validiſsimè, cum bacillo grandiore. Quod ſi vniuerſa bene inter ſe fuerint vnita, eximantur ex mortario, & in vas grande recondantur, in quo de nouo teruntur cum piſtillo ferreo ſine intermiſsione, vngendo ſæpius illud Opobalſamo, quod alioqui ad

The-

Theriacam accipitur: ne ſcilicet in circumuoluendo aut eximendo illud, propter tenacitatem ſpecierum, is qui hunc laborem in ſe ſuſcepit: impediatur: & hoc modo Opobalſamum vniuerſum inſumi poteſt. Hæcque omnia ad Solem fieri debent, nam ea ratione Medicamenta citius vniuntur. Vas tamen in quo eſt Theriaca tegi debet carta quæ habeat foramen, ad eum modum, ſicuti ſuprà in terendis ſpeciebus diximus. Et ita hæc confectio Theriacæ abſoluta eſt, nec aliud reſtat agendum, niſi vt diligenter tegatur, & ſingulis quinque diebus, aut ſeptem de nouo ad Solem contundatur & agitetur, eo modo quemadmodum anteà diximus, idque ad minus per quadraginta dies factitantem. Aëtius vult hanc miſtionem ſemel omni triduo vel quatriduo ad ſummum fieri debere, & propterea piſtillum parari iubet ex ligno ponderoſiſsimo, & leuigatiſsimo, prætereà inter vnam atque alteram trituram vas bene ſit tectum: requirit etiam tritura ſpacium horarum trium, & robuſtiſsimos iuuenes. Vas inſuper Theriacæ deſtinatum, ſit duriſsimum, vt in contundendo reſiſtere poſſit. Et quanquam ad illam aſſeruandam optimum ſit vitreum, aut terreum inuitrea-

tum vas, nihilo tamen minus ne rumpatur, non ita validè audebimus mistionem instituere, quod in causa est, ne compositio fiat penitus bona. Ideoque veteres Principes & Imperatores hac quoque commoditate inter alias abundabant, quod vasa hæc iuberent fieri ex purissimo argento, vel forsitan etiam auro. Sed cùm pharmacopolæ his destituantur, licet illis, (vt Aëtius docet,) in quodam mortario marmoreo grandi hanc trituram quadraginta dierum spacio absoluere: & posteà quando non opus fuerit vlteriore agitatione, recondatur in vase vitreo, quod cum pauco melle despumato interius sit inunctum. Imò Aëtius nõ improbat, vt in plura vasa vitrea Theriaca iam præparata reponatur: ego tamen arbitror fermentationem fieri multo meliorem, si tota massa integra simul asseruetur. Poterit igitur in vase aliquo terreo diligenter inuitreato quoque reponi: quod tamen ipsum prius melle illiniatur. Damocrates vase argenteo, stanneo, vitreo, corneo, aut terreo vtitur. Obseruãdum autem ne omninò totum vas impleatur ad summum vsque, sed spacij aliquid relinquatur vacui, quo melius posit nonnihil exhalare & transpirare, hoc enim multum conducit a

cit ad accelerandam fermentationem. Imò post illos quadraginta dies singulis septem diebus aperiri debet, per aliquod tempus, idque multis mensibus obseruandum propter eandem rationem. Quamobrem meritò illi sunt deridendi, qui statim posteaquā pararunt Theriacam, vel aliud opiatum Antidotum, sigillo id obsignāt, nec intra certū tempus aperiunt. Qui abusus, quemadmodum prius frequens fuit inter pharmacopæos Neapolitanos, propter antecessores eorum parum prudentes, ita hodie incipit omnib. innotescere, diligentia & studio excellentiss. D. Ioannis Antonij Pisani protophysici regni Neapolitani. Tanta autem vis est inueteratæ consuetudinis, vt de hac re Imperati nostri peritissimi suæ artis hominis, nondum apud quosdam amicos suos, in diuersis partibus Italiæ, pharmacopolas, admonitio locum habuerit. Animaduertendum quoque est, si Theriaca conficiatur in autumno aut vere, vel tēpestate frigidiore, necesse erit vt vltra spaciū quadraginta dierū agitetur, propter rationē suprà allatam. Quod tamen iudicio Medici vel pharmacopęi ꝑmittit. Propterea vnusquisq; operā dabit vt in æstate conficiatur. Cùm etiam interdū accidere soleat,

 vt pro-

vt propter constitutionem temporis massa reddatur siccior, atque ideo Theriaca ingratior fiat ad sumendum, Damocrates in sua Theriaca, & similiter Aëtius, remedium tradunt, quò modo ad priorem suam vigorem reduci possit: quod fit, si satis accipiatur mellis despumati, & cùm benè fuerit pistillo tota massa rursum subacta in mortario, affundatur mel & commisceantur omnia benè simul, ac posteà asseruentur. Hocque repetere licet quoties contigit fieri esse Theriacam nimis siccam. Prætereà obseruandum est, cùm in Trociscis Hedychrois duplum Cassiæ loco Cinamomi accipiatur, propter id mutari proportionem, vt si (exempli gratia) sumantur Trociscorũ drachma vna, reliqua simplicia remanebunt in minore quantitate quam fieri debet. Vnde si proposito autoris satisfacere voluerimus, cogemur paulò plures quàm 24. drachmas Hedychroorum (quod alioqui eorum est pondus) Theriacæ imponere. Eandẽ ob causam considerãdum, an nõ etiam mellis aliquanto plus accipi oporteat in vniuersam Theriacam quàm 10. libræ sunt, propter aridorum accrementum, non tantùm ratione Hedychroorum, sed etiam propter duplum Cassiæ loco Cinamomi in compo-

compoſitionem ſumtæ. Exiſtimarem autem, ſi adderetur, 1. drachma inſuper de Hedychrois, parum à iuſto pondere aberraremus.

DE COLORE *Theriacæ.*

CAP. XIII.

MAIORES noſtri non ſine magno ſtudio tribuere voluerunt Theriacæ colorem nigrum, nõ quòd ex eo aliquid viriũ illi accederet. Sed quia ita in more erat poſitum: & qui illi alium colorem tribuerent, habebãtur pro imperitis, quaſi hoc præſtare neſciuiſſent, & proptereà deridebantur. Nam Chalcitis vſta nullam aliam ob cauſam imponitur, quàm vt illi conciliet hunc colorem, quòd ſi aliquis imponeret Chalcitin, & non aſſequeretur hoc quod voluit, idem erat ac ſi non addidiſſet, ideoq́ue decidebatur. Vt itaque nigram reddamus Theriacã, neceſſe eſt, vt benè aliquis Chalcitin ſciat adurere. Ars aũt vrendi Chalcitin, vt ſit vtilis ad medicamẽ-

ta conuenientia vlceribus & oculis, ex Dioſcoride poteſt deſumi: nam ille nihil curat, modò ſit benè vſta, ſiue nigro colore ſeu alio tingat. Sed qui expetit nigrum colorem, obſeruare debet alium modum à Galeno propoſitum. Nam ſi Chalcitis vſta facta fuerit flaua, aut aurei coloris, nunquam reddet Theriacam nigram: ſed ſuo illo colore tinget: quanquam exigua imponatur eius copia: quo reſpiciebant Dioſcor. & alij omnes periti Medici, qui ſolùm facultatem eius expetebant, & non curabant colorem propter alia Medicamenta. Quæ cauſa fuit errandi in illis qui nihil præterea conſiderantes, exiſtimabant quocunque modo illa fuiſſet vſta, poſſe eam nigro colore Theriacam inficere. Sed verus modus ſecundum Galenum erit talis. Accipiantur Chalcitidis crudæ dra. lx. nec minus: & in ollula antea non vſurpata coquatur ad prunas carbonũ puriſsimas ſine operculo, & cùm videbitur Chalcitis eſſe diſſoluta, & aliquid ſpumoſi & leuis hęrere in parte ſuperiore, auferatur ab igne & in terram reponatur, animaduertentes, ne inflemus in eam, nam hac ratione non ſine admiratione ſolet illa fieri flaua, deinde in vmbra non in Sole exiccetur. Poſteà dexteritate aliqua quod in ſuperficie ma-

cie ma-

cie magis eſt ſpumoſum colligatur, expers coloris rubicundi, aut flaui, nec pallidi, imò vt magis certa res ſit, ſumatur aliquid de iſto ſpumoſo, & rumpatur vel fricetur digitis, vel ſupra cartam albam, vt cognoſcatur, an aliquid de iſtis coloribus in ſe contineat nec ne, & omne id quod apparet eſſe viride vel cinereum ſeruetur pro bono, donec collectæ fuerint 4. drachmæ deſtinatæ ad Theriacam, nam de 40. drachmis poſt vſtionem valdè parum relinquitur. At non deſunt nonnulli hac ætate, qui exiſtimant, nulla ratione in hac Antidotum Chalcitin eſſe recipiendam, idq́ue propterea quod ſi tantummodo ad tingendam colore nigro Theriacam adhibeatur, parui momenti erit, cùm non ſit ex illis quæ præcipuam adiuuent actionem compoſiti, quæ eſt ſanare diuerſos morbos, nec multum refert qualis ſit illius color, modò teneamus verum vſum. Et eo minus debemus noſtro tempore eſſe ita curioſi de iſto colore, quòd non vbique Chalcitis inueniatur: quare ſæpenumero neceſſe fuit illius loco accipi ſuccedaneum aliud, Calcanthũ ſcilicet Cyprium vſtum. Addũt præterea, ſi abſque Calcithide vel ſuo ſuccedaneo paretur Theriaca, minus ingratum

& hor-

& horridum habebit ſaporem. Contra has rationes non volo nimis pluribus contendere: ſed afferam vnā tantummodo rationem natam ex regulis quas ſuprà tradidimus, quæ talis eſt. Si ſuſtulerimus omninò Chalcitin, proportio maſſæ totius Antidoti deſtruetur, quàm diximus factā eſſe tā magna diligentia, oporteret itaq; adiungi aliud quoppiam ſimplex ex illis quod teri poſſet, vt hoc inconueniens fugeremus: ſed ſi hoc fieret nimis audaces eſſemus. Ita enim ꝓportio facultatum totius compoſitionis labefactaretur. Et cùm Galenus, qui optimè hoc cognoſcebat, eam Theriacam quemadmodum ab Andromacho deſcriptam inuenerit, retinere voluerit, ſimus & nos ea contenti, & illum hac in parte, ſicuti in alijs omnibus artis Medicæ, ſequamur. Quòd ſi aliquis ſubtilius adhuc hæc tractare vellet, poſſet dicere Chalcitidem ſua facultate valere quoque ad quædam interna mala, vt eſt ſputum ſanguinis, & alij omnes affectus, qui requirunt aſtrictionem: & ad alia externa, vt ſunt vlcera malitioſa & difficilia, & ita impertiri ſuas vires vniuerſo Antidoto iam fermentato, & eas in affectibus iam enumeratis oſtendere, cùm certè Theriaca (quemadmodum dicemus,

vbi

vbi de ipsius facultatibus loquemur) extẽdat suam vim emplastri vice adhibita ad multa mala externa. Sed quoniam Galenus non videtur hos vsus in Chalcitidẽ agnoscere, ideò, ne pertinacius contradicamus, primæ responsioni insistamus: declarantes tamen hoc, quòd cùm Galenus dicat Chalcitin non ad aliud vtilem esse, quàm vt colorem nigrum Theriacæ conciliet, non intelligit, nec potest intelligi de gradu caloris & siccitatis quam continet, quia inter alias proportiones in Antidotis celebribus, is qui ea componit, considerat quoque, vt ex mistione multorum simplicium resultet certus & determinatus gradus calidi & frigidi, aut duarum aliarum qualitatum primarum: cumque Chalcitis sit calida & sicca forsitan in 4. ordine, non potest abesse, quin de his duabus qualitatibus aliquid communicet proportioni, & saltem hanc ob causam venit in considerationem, & ea sublata, non id fiet sine gradus illius, quem voluit Andromachus in Antidoto resultare, diminutione.

DE

DE DIVERSIS MOdis præparationum Theriacæ, vbi colliguntur nonnullæ dubitationes de tritura ſpecierum in ipſa.

CAP. XIIII.

MEMINI me ſuperius recepiſſe, vbi de quãtitate vini, quod ad hanc Antidotum accipiatur, locuti ſumus afferẽtes rationem quare Andromachus iunior certi aliquid in eius quantitate definijſſet, ſenior verò reliquiſſet eam in arbitrio artificis: præterea aliam quampiam rationem me allaturum eſſe, quæ tamen explicari eo loco nequierit planè, niſi diſſeremus prius de diuerſis modis, quos veteres vſurparunt in præparanda Theriaca, atque ideò huc volui eam tractationem trãſferre, vbi de ea commodè ageretur. Dico itaque quòd vltra illum modum, quem col

legimus

legimus ex Galeno, & nos vt optimum retinemus, habebantur alij quoque nonnulli non parum differentes à priore, hiquè à nonnullis pro præparanda Theriaca magis commendabantur. Nos verò omissis alijs dicamus de vno tantùm, cuius Aëtius facit mentionem ex sententia Galeni: quanquã in ipsius libris, quæ ad nostras manus peruenerunt, nullam illius mentionem fieri videamus. Vult itaque Aëtius, vt primùm Cassia per se contundatur vniuersa nimirum tam 6. drachmæ istæ, quæ principaliter in eam accipiuntur, quàm 24. aliæ, quæ loco Cinamomi adduntur, vniuersæ tritæ per cribrum (vt vocant) setaceum. Postea per se Crocus teritur cum vino, subtilissimè dissolutus, cui adijcitur Cassiæ puluis tenuissimus, & de nouo addendo plus vini, ambo benè contunduntur: deinde cùm Cassia benè dissoluta fuerit, terra Lemnia cum pauco vino per se sola in alio mortario teritur, idemq; fit de Bitumine, quòd postea vnà cum terra Lemnia additur Cassię & Croco, & rursum aliquantisper omnia simul terũtur. His factis omnia herbacei generis cum tribus Trociscis & Castoreo simul contunduntur, & per tenuissimum cribrum excutiuntur. Succi verò & gummi omnia prius

vnum

vnum diem maceranda ſunt, in iuſta quan-
titate vini, & tales ſunt Acacia, Myrrha, O-
pium, Thus, ſuccus Hypociſtidis, & Gly-
cyrrhizæ, Opopanax, Sagapenum, Galba-
num, & Gummi, excepto Styrace, qui con-
iectus in mortarium magnum & amplum
cum Opobalſamo teritur, & ſimul per ſe v-
niuntur. Succi verò anteà macerati in mor-
tarium alterum amplum & grande impo-
nuntur, & iterum teruntur & miſcentur,
addendo paulatim, ſi opus fuerit, aliquid
præterea vini: cumq́; benè fuerint triti, Sty-
rax præparatus quoque addendus, & inſu-
per Caſsia, Crocus, & alia quæ cum illis cõ-
miſta fuerunt, & de nouo omnia ſubigen-
do in vnum corpus rediguntur. Poſtea bo-
næ Chalcitidis vnc. vj. aut amplius in ollu-
lam nouam orificij largioris imponuntur,
& ad ignem carbonum accenſorum po-
nuntur, ſemperq́; rudicula agitantur, cum-
q́ue ceperint liquefieri, & quandam luto-
ſam ſubſidentiam acquirere, ſtatim ab igne
remouentur, & depoſita ollula in terram,
benè miſcentur & vniuntur: ac coagmen-
tata aliquantulum ita relinquuntur. Dein-
de ablato illo & abiecto in ſuperficie ſicco
& rubro, tãquam inutili, ſumitur illud me-
dium coloris viridis, & mollis cõſiſtentiæ,
pondere

pondere 4. drachmarum, quod in mortarij medio, in quo reliqua continentur repositum, in eius aliqua parte cum pauco vino dissoluitur, & cum alijs miscetur, addendo nonnihil mellis despumati. Posteaquã ita Chalcitis cum reliquis trita fuerit, & admista, & omnia colorem nigrum acquisiuerint, tandem etiam additur Terebinthina modico melle prius dissoluta. Hæc iam vniuersa enumerata si apparuerint inter se benè esse commista, tandẽ addũtur omnia arida puluerisata, & paulatim quod mellis est reliquũ quoq; affunditur, quo facto subactis omnibus diligenter grãdiore pistillo, & cõmistis, donec simul optimè fuerint vnita, transferuntur tum in mortarium, & cũ pistillis ligneis, duriss. & politissimis contũdunt & agitantur ad Solẽ, & posteà diligẽter contecta ita sinuntur: atq; post triduum vel quadriduũ rursum per tres horas continuò tunduntur & teruntur: hocq; repetitur vsq; ad diem quadragesimũ. Postremò excipiuntur & recõduntur in vas vitreum prius melle modico imbutum. Obseruandũ autem ne vas ad summum vsq; impleatur, sed aliqd in illo spacij relinquatur quo massa liberius possit transpirare: & ita probè contectũ & obligatum asseruetur. Hunc modũ tradidit

 Aëtius,

Aëtius, adiungens etiam hoc: si nó adhibeatur diligentia in vrenda Chalcitide, Antidotum non acquirere colorē nigrū: idq; contingit, cùm nimium exuritur, si enim parum supra debitum modū vratur, fit Antidotū rubicundū: sin verò penitus adurat̄, nō iam colorē rubicundiorē, sed partem à proprio distantē, efficiet. Per integrum quoq; mēsem posteà sępius respici ad Antidotū, & cū radicula parua & mūda leuiter agitari oportet, vt ita quicq̄d in superficie est & vasi adhæret, quoq; exiccari possit. Tempus verò quod requirit̄ ad concoctionē & fermentationē pòst q̄ ad vsum idonea sit, non exiguū est: nam vt plurimū spacio vnius anni absoluitur, nisi occasio sit magni momenti, & necessitas vrgeat: nam tum etiam post mensem vsurpari poterit. Hæc omnia scribit Aëtius de præparatione Theriacæ, qui tamen modus quantū differat ab illo, quē idē Autor ex Galeno desumsit, vnicuiq; aduertenti manifestū est. Differētia autē inter vtrumq; in duob. potiss. cōsistit. Primò, Galen. dissoluit in vino solo succos & lacrymas, atq; ea semina q̄ cōmodè teri nequeunt: Aëtius verò nō solùm succos & lacrymas, sed multa alia arida Medicamēta in vino liq̄facit. Secūdò, Aëtius quasi per gradus instituit triturā, Galenus

lenus verò ſimul omnia terit. Ex prima diffe rentia naſcit, ꝙ copia vini maior requiratur ad modũ obſeruatum ab Aëtio q̃ Galeno: & inde ratio reddi poteſt, quare nõnulli autores certam quantitatẽ vini cõſtituant, alij verò arbitrio Pharmacopæi hoc relinquãt: nam qui ex ſentẽtia Galeni eam parauerit, certam illius poteſt definire quantitatem, cũ nihil aliud reſpiciamus, niſi ad doſin certam iſtam diſſoluendorũ quantũ vini requiratur, quæ proportio facilè haberi poterit. At ſi Aëtiũ ſequamur, qui ꝑ gradus progreditur in tritura, ſemperq; aliquid vini adijcit, non ita certã quantitatẽ illius conſequemur: nã ſtatim, ſi quid plus minúſve vini fuerit additũ, hoc varietatẽ nõ exiguam pariet, cùm fieri nequeat vt oculorũ acie hoc exquiſitè conſtituatur. Vnde facilè quoque colligitur Andromachum ſeniorem non ſolùm vſurpaſſe in præparando Antidoto modum, quo vſus eſt Galenus, ſed probaſſe etiã Aëtij rationẽ, eumq; propterea nõ definijſſe vini quãtitatem: qđ ſi feciſſet, vni ſoli ſe addixiſſet. Cõtrà verò Andromachus iunior, ſolũmodò vt Galenus præparauit, & ideò vini quantitatem expreſsè definiuit. In quo tamen coniecturis nitimur, cùm non ita planè cõſtet, qua ratione vterq; Andromachus

certò eam pararit, & ſenior in ſuo carmine ſit nimis breuis: tametſi Gal. poſteà verboſè modum expoſuerit. Et hæc quantum ad primam differentiam.

De ſecunda verò alia oritur difficilior quæſtio, de eo, quod ratio reddenda ſit, quare Galenus eodem tempore, Aëtius verò paulatim, & per gradus inſtituat trituram: nam omninò credendum eſt, vtrumq; habuiſſe probabiles rationes, quarum fundamenta ſi reperire poſſemus, inſtructiores ad parandam hanc Antidotum accedere-mus. Vt autem aliquid dicamus: ſciendum eſt, primùm, duabus de cauſis ſimplicia, quæ ad compoſitionem aliquam vſurpantur, probè conteri, & quam ſubtiliſsimè cribrari ſolere: Vna eſt cauſa, reſpectu ipſius compoſiti, altera propter affectus corporis humani. Hæcque poſtrema eſt manifeſta: nam ſi volumus rectè curare internum vel externum morbum, neceſſe eſt, vt Medicamenta ad locum affectum, quò ſuas vires illi communicare queant omninò penetrent: quod tamen vix fieri poteſt, ſi ſunt minus ſubtiliter trita. Verum quidem eſt, Medicum interdum peculiari quodam conſilio minus ſubtilem trituram imperare: de quo hîc non

opus

opus eſt pluribus diſſerere, ſed potius de prima cauſa diſputemus paulò verboſius.

Cauſa itaque quod ſubtiliſsimè ſimplicia terantur reſpectu compoſiti, nulla eſt alia, quàm quòd ſit conſilium illius qui compoſitionem eam parat, ex multis ſimplicibus diuerſæ naturæ formam efficere ita vnitam, vt non amplius priora Medicamenta nominari, ſed aliquid tertium diuerſum à ſingulis appellari poſsit, quod perfici nō potuiſſet, niſi ita vnirētur Medicamēta, vt minima vniuſcuiuſq; particula alterius minimā particulam, quatenus ſanè ars permittit penitus attinget, nam hæc ſpecies miſtionis propriè non niſi Natura effici poteſt. Si itaq; ſubtiliſſ. fuerint tritæ ſpeciei, facilius hoc aſſequemur, quemadmodū ſi diſſolubilia per aliquem liquorem, aut ignem, ad maiorem quantum fieri poteſt ſubtilitatem reducātur. Hic igitur eſt ſcopus vniuſcuiuſq; qui compoſitum aliquod ordinat.

Aduertendū tamen ne tritura vel coctio, aut alia ratio quæ adhibetur ad Medicamenta attenuanda, excedat modum: nā nimia tritura aut coctio facit vt magna ex parte ipſorum vires exhalent, & compoſitū inde fiat debile & nullius efficacitatis: Quod in coctione manifeſtiſſ. eſt, nam non ſolùm in

Medicamentis, ſed cibis quoque mediocris coctio requiritur: quæ ſi deficiens fuerit, manent omnia cruda: ſin nimia, omnis vis euaneſcit. Hoc in tritura aridorum quoque vſu venit: nam illa iterata percuſsio, quæ fit piſtillis, calefacit ſimplicia, & ob calorem illum exhalant & debilia redduntur, præter id quod minutiſsimæ partes tanquam atomi, in aërem diſsipentur: nec vnquam tanta diligentia adhiberi poſsit, quin aliquid ex ijs deperdatur. Quam ob rem autores compoſitionum accuratiores, quædam præcepta generalia conſtituerunt, quibus, prout durum aut molle eſt, id quod teri debet, pro eo imperarunt longam aut breuem trituram: Et quia radices vt plurimũ ſunt duriſsimæ & flores molliſsimi, tribuerunt hiſce paucum, illis verò longũ terendi tempus, ſemina verò in medio illorum collocarunt. Diſtinguentes itaq; rationem conterendi in tres partes, vnam ſcilicet floribus, alteram ſeminibus, tertiam radicibus aſsignantes, modò compoſitum ſit eiuſmodi parandũ, ad quod hæc tria genera ſimpliciũ ſunt accipienda, iubent primũ contundi radices, & ſi ad tertiam partẽ temporis tritura peruenerit, & addũt illis ſemina, continuando triturã vſq; ad ſecundum tempus,

poſt

post quod adiungũt quoq; flores, & hoc pacto paulatim ad verã præparationẽ eorum perueniũt. Quod nõ fieret, si vnà omnia cõtunderent: nam radices parũ, reliqua verò duo nimiũ tererent: atq; ideò suã vim amitterent: idq; multò adhuc magis cõtingeret, si adhuc alia adessent simplicia, magis q̃ sunt radices terrestria & crassa, quemadmodũ sunt metallica omnia. Quo respiciens Mesues, studuit tradere in pluribus simplicibus, quæ multam aut paucam triturã ferre possent. Atq; hinc occasionem nõnulli sumserunt Galenũ reprehendendi, in præparatione Theriacę, quasi neglecta hac cautione omnes herbas, semina, flores, radices & metallica simul coniunxerit, Quam confusionem euitans Aëtius, aut quicunq; fuit, à quo ille hunc modũ præparandi accepit, vnum post alterũ terere voluit multa etiam per se tantùm: ob quã sanè diligentiam ipsius, præparãdi ratio Galenicę videt̃ esse anteferẽda. Accedit ad hoc, quòd quędam arida in vino teri iubet, ad fugiendũ istud incõmodum, cuius paulò ante fecimus mentionẽ: nã ita dissipari in aërẽ pars pulueruléta quæ inter terendũ attollit̃ è Medicamentis nequit, retenta propter humiditatem vini: nam etsi succi & lacrymæ, & similes res, in aliquo

liquore dissoluuntur, magis propter necessitatem quàm commoditatem aliquam (nam sola teri nequeunt) nihilo minus arida quoq; cum liquido quopiam teruntur, non quidem necessariò, quia per se sola quoque teri possunt minutissimè: sed propter commoditatem iam cõmemoratam. Vnde pharmacopæi periti cõtundũt Muscũ & Ambram cum modica aqua rosacea, non quòd per se quoq; non possent puluerisari, sed ne partes tenuiores exhalent, id quod in alijs multis rebus similiter obseruatur, ea iam in vino, iam oleo, aut aqua vitæ, vel alia aqua conueniente ad affectum, cuius causa compositum conficitur, terentes. Quæ tamen diligentia in metallicis Medicamentis nõ requiritur: nam magna ex parte sunt partium similiũ & æqualium, quanquã dura & terrrestria sint: Neq; verendũ est, ne partes subtiliores exhalẽt, tametsi Damocrates in sua Theriaca metallica quoq; in vino terat.

Quòd autem verum sit contundendo partes subtiliores exhalare, argumento est Euphorbium & Helleborus albus, quorum vtrumq; nõ sine magna molestia illius, qui in eo cõtundendo laborat, cõteri potest: nã ex illis concitari solent innumera sternutamẽta, & potiss. Euphorbiũ sanguinẽ quoq; è nari-

è naribus elicit, & inflammationem oculorum,& dolores non exiguos capitis excitat, idq́ue propter acrimoniam quam secum attollunt partes inter terendum in aërem sublatæ. Cui rei pharmocopæi occurrentes, simul terunt nonnulla Amygdala, aut aliquid olei instillant, vt propter lentorem istæ partes nimis aëreæ quasi retrahantur. Sic Diosc. laudat Iridem istam, quæ inter terendum excitat sternutationem. Ex his omnibus manifestum esse videtur per modum ab Aëtio propositum consequi nos illud, quod diximus potissimùm requiri ad necessariam trituram Medicamentorum, id est, vt ea fiat sine iactura aliqua virium in ipsis: quæ quidem consistunt in duobus, in quantitate & qualitate: quorum vtrumq; necessariò obseruandum est. Nam qualitas in eo seruatur, ne terantur vltra quam oporteat, de quo loquitur Mesues, dicens, superfluam trituram dissoluere vires Medicamentorum, exemplum sumens de Rhabarbaro, quod ait amittere facultatem suam purgandi, si radix ipsius raræ & peruiæ substantiæ, subtilissimè teratur, cuius rei rationem suprà reddidimus.

His itaq; de causis iam allatis Galenus meritò repræhendi posset. Sed, vt par est,

nos illius defensionē suscipiamus: neq; cogitandū, istā per gradus quasi triturā ipsum latuisse, sed rationes nō contēnendas quare hoc neglexerit habuisse. Procul autē dubio Galenum nihil aliud nouisse constat, quàm ꝙ ille attentissimè ad magis necessaria respexerit: qđ in cōpositionib. ad perfectā mistionē & vnionē omniū simpliciū in cōposito ꝓcipuum caput est, vt suprà etiam diximus: quæ tametsi multū iuuet puluerisatione subtiliss. Medicamētorū, nihilo minus tamen plus etiam cōfert, si omnia simul terantur: nā omnia melius ꝑmiscentur, & vnū alterū magis cōtingit, quādo simul teruntur vniuersa, quàm si seorsim puluerisata postea vniant. Imaginemur enim nobis partes crassiores alicuius simplicis cōtingere aliorum partes, q̄ sem ꝑ cum ictib. pistilli minutiores redditę aliq̄d assumūt de multis simplicib., & de nouo attritæ cōtingentes sese cū alijs, tandē talē mistionē constituūt, vt nullus atomus nō sit particeps multorū simplicium, & commisti rursum simul & postea redacti in puluerē (q̄ mistio sola inest in altero modo) ista vnio, q̄ de primo modo orit, reddet fermētationē multò faciliorē, quoniā vna minima particula cōtingit particulā vniuscuiusq; ex alijs. Quare credibile est, si Galeno licuisset omnia simplicia nullo penitus excepto,

simul

ſimul terere, eũ hoc quoq; feciſſe, ideoq́; ſolũmodo ea ſeorſim cõtudit, q̃ nõ cõmodè poterãt ſimul cũ alijs teri, vt ſunt ſucci, gũmi, lacrymę, & nõnulla alia, quæ ꝓpter ſuũ lentorẽ impedijſſent vniuerſam trituram. Atq; inde colligit ipſum voluiſſe, vt Crocus & Acacia, cũ alijs ſimul terãtur, ſi modò hoc eorũ humiditas non impediat: quare ſi nõ fuerint arida, iubet cũ vino cõtundi: quod manifeſtiſsimũ ſignũ eſt nõ commoditatẽ, ſed potius neceſsitatem coëgiſſe illũ quędam ſeorſim terere: qđ cõfirmatur quoq; ex cap. 15. li. 1. de Antidotis, vbi ſemẽ Napi & Thlaſpi, prius ſimul cũ alijs in mortariũ impõit, ſequẽdo cõmunem conſuetudinẽ p̃parationis. Sed recordans poſtea, quòd fundo vaſis propter innatã viſciditatẽ adhæreſcãt, exiſtimauit melius eſſe vino diſſoluere, & ꝑ ſe terere, & poſteà cũ alijs in vino diſſolutis coniungere. Quod cũ etiã in Thure & gũmis requratur, ſeorſim illa quoq; trita exhibet. Hoc itaq; iam ita eſſe abũdè cõſtat, & ſatis ſuperq́ue à nobis declaratum eſt, quid Galenum mouerit, quòd omnia ſimul teri voluerit.

Verùm tamen adhuc dubij aliquid non contemnendi reſtat. Nam ſi regulas de terendis ſimplicibus, traditas à Meſue, veras eſſe iudicauerimus, abeſſe non poterit, quin multa ſimplicia vltra debitum modum terantur,

rantur, (de illis loquendo quæ ſine iactura aliqua ſuæ qualitatis longam trituram non poſſunt ſuſtinere: Nã ſi oportet plantas fruticoſas (quemadmodũ eodẽ loco iubet Galenus) accipere, quo tempore ſimul in ſeſe continent ſemen cum calicibus flores, virgulta & frondes, vt eſt Scordium, Stœchas, Marrubium, Nepeta, & nonnullæ aliæ, quas ipſe nominatim indicat, certè illa non poſſunt eiuſmodi terendi modum quem ſuſtinent radices perferre: Quod ſi expectandum erit, donec radices in puluerem conuertantur, abſque dubio intereà flores, frondes & calices planè quoad ipſorum vires, euaneſcent. Huic verò dubitationi (vt facere conſueuit Imperatus ingenioſè & appoſitè admodum: cuius etiam ideò hunc laborem meum dedicare volui, quod plurima ex ipſius obſeruationibus huc ſint trãs lata) ita reſpondebitur: Multos in eo deceptos fuiſſe, quod naturam & proprietatem trituræ non benè intellexerint, qui reſpicientes tantùm ad ſuperficiem præceptorum, à bonis autoribus traditorum, facilè in nonnullos errores incurrerunt. Primùm enim conſideranda eſt ſubſtantia vel eſſentia maſſæ compoſitæ: Quòd ſi eius primus autor illam voluerit eſſe partium ſubtiliſſima-

ſimarum, vt omnia benè vniantur, neceſſe eſt cuncta illa ex quibus conſtat eſſe ſubtiliſsimè trita, quod Meſue etiam animaduertens, dicit, in Theriaca vniuerſa eſſe probè terenda, quò miſtio fiat melior. Accidit tamen, vt ſæpenumero tritura non omninò ſubtilis fiat, quod nimirum ita propoſito autoris conducat. Iam ſi neceſſe eſt vniuerſa redigi contundendo in tenuiſsimum puluerem, ſicut hoc loco accidit, ad eum modum omnia teri debent, neque reſpiciendum, an ſint flores, frondes, ſemina, radices, herbæ, metallica, ſucci, aut alia genera ſimplicium. Nam tum præceptum illud, quòd in puluerem redigi debent, maioris eſt momenti quàm alterum, de dura & molli eorum ſubſtantia. Et ratio eſt, quod primum noſtrum propoſitum eſt, ſimplicia in vnam formam redigere, quod fieri nequit, niſi eo modo quo dictum eſt, terantur.

At aliquid decedere de ſimplicibus, aut non, ſecundariò conſideratur: Quòd ſi illa vnio non poſſet fieri ſine iactura alicuius rei, vel in qualitate vel quantitate, cogeremur quidem eam accipere cum iſta iactura: nam dum de illo quod decedit nimis ſumus ſoliciti, terendo interea minus ſubtiliter ſimplicia, illud amitteremus quod

quod maioris est momenti, nimirum, perfectam vnionē. Attamen si quis illam vnionem sine vlla iactura consequi posset, esset proculdubio pro artifice præcipuo habendus, (qualem fuisse Galenū existimabimus) idq; fiet si proprietas triturę nobis benè erit cognita. Quod vt fiat, sciendū, debitam itemq; superfluam terēdi rationem, accipi dupliciter: primus modus est, vt in simplici quod puluerisandū est, statim postquam in puluerem redactum est, à terendo desinamus, nam per ipsam continuā trituram puluis fit languidior & exhalat. Alter modus est, si simplex non potest ferre tot percussiones quot requirūtur ad puluerisandum sine virtutis iactura, tū eò vsq; teri debet, donec in crassiorem puluerem fuerit redactum: & hoc postremum intellexit Mesue, vbi dicit, Rhabarbarum quò purius & ponderosius, puluerisatam subtiliter, eò efficacius: & contrà, quò rarius & leuius, & si nimium cōtundatur, eò retinere imbecilliorē vim purgandi: qui secundus tamen modus in Theriaca non obseruatur. Omnes itaq; in eo conueniunt, quòd simplicia subtilissimè sint conterenda. Et quanquam Agaricus mediocrem trituram ferat, vt Mesues quoque vult, nihil minus tamen in hac composi-

tione ipse quoque subtiliss. teri debet, nam autor huius Antidoti respexit ad facultatem Agarici, quantum nimirum illius post subtilissimam trituram adhuc restat: nam tametsi facultatem purgandi amittat, eius tamen loco acquirit aliam, aperiendi videlicet membra interiora & liberandi, ab obstructionibus, quæ auferri nequeunt nisi à Medicamentis quæ facilè distribuuntur in corpus, quæ actio partium subtilitatem fermè semper sequitur.

Primus itaq; modus hic solummodo obseruatur habentes pro superflua tritura, eam quæ fit vlterius, cùm medicamentum in tenuissimum puluerem iam est redactũ. Qua in re multi pharmacopæi inconsideranter errãt, qui vt suam diligentiam ostentent, nesciunt manum de mortario tollere, non animaduertentes hoc modo potius pulueres debiliores quàm validiores effici: Perfectæ enim trituræ optimum & verissimum indicium haberi potest ex angustissimo cribro, quod post sufficientem terendi actionem adhibetur.

Eò vsq; igitur flores teri debent, quò in puluerem redigantur, idemq; de frondib., seminib. & radicib., & alijs cuiusuis cõsistentiæ simplicibus statuendum: & secundum hanc

hanc rationem flores paucam ferunt tituram, quia ſunt tenerrimi, & cũ paucis numero percuſsionibus piſtilli, in puluerem conuertuntur: contrà radices multas percuſsiones poſtulant, medio verò inter hæc modo ſe habent frondes & ſemina: ideoq; medium quoque tempus ad terendum requirunt. Vt autem veriſimile non eſt Andromachum neſciuiſſe hos terendi modos, ita veriſimile quoque, eum pariter quod inter terendum floribus aut alijs partibus deceſsiſſet, arte quadam alia recompenſare potuiſſe: vt ſi propter motum piſtilli, vehementiorem aliquid virtutis de calore exhalaret, illud rurſum per maiorem quantitatem Medicamentorum reſtitueretur.

Vnde generalis quoque regula in compoſitis nata eſt, quæ in locum alicuius validi Medicamenti accipi iubet duplum alterius, eiuſdem tamen generis: ſicuti fit in Caſſia ſumta loco Cinamomi. Quid verò magis eſt eiuſdem generis, quàm idem Medicamentum ſibimet ipſi? Si itaq; ſimplex quopiam nonnihil exhalat inter præparandam, adiuuari poteſt cum pondere exuperante, vt tertia eius pars vel dupla, vel alia menſura, prout artifex opus eſſe iudicauerit, addatur:

datur: & hoc quantum ad ipſam qualitatem ſimplicium deperditam.

Quod ſi in compoſito aliquo quantitati quippiam etiam decedere ſoleat, cùm inter terendum atomi in aëre diſsipentur, alia quantitate quoque rurſum compenſabitur: idque facilius fit quàm prius: quia minus hic perit. Hæc itaque duo perpendens Andromachus talem ſimplicium Medicamentorum doſin conſtituit: quæ compoſitionem totam redderet perfectiorem. Quemadmodum verò non vituperanda, ſed plurimũ laudanda eſt, eorum diligẽtia, qui inuenerunt inſtrumenta quædã ad retinendã qualitatem & quantitatẽ Doſis propoſitę, aliqui conterentes ea ſecundum pręcepta Critonis, alij in vino nonnulla Medicamenta contundentes, nonnulli alijs modis vtentes: ita non adeò magnopere curandum eſt illud exiguum, quod deperditur, quoniam (niſi Andromachum velimus dicere fuiſſe negligentiſſ.) huic rei ab inuentore huius compoſitionis fuit diligenter proſpectum. Non tamen ideò pharmocopæus aliquid de ſolita diligentia remittat, cùm quantum fieri poteſt, id quod perit non multùm ſed omninò debet eſſe exiguum. His itaque de cauſis Galeni mo-

dum in ſimplicibus omnibus ſimul conterendis, quia finem principalem non negligit, rectè obſeruare licet: non multùm ſoliciti de altero, qui fit gradatim.

Quod ſi benè perpendimus negotium, quando vnũ ſimplex per ſe tantùm ſit terendum, idq́; eſſet herba aliqua fruticoſa, nunquam poterimus ita terere, quin aliquid de qualitate ipſius deperdatur: nã regula quæ traditur de colligendo ſimplici aliquo, non nihil repugnat cum ipſius exquiſito terendi modo: nam ex vna parte plantas fruticoſas quæ ad Theriacam ſumuntur, eligere debemus, quando ſunt in maiore vigore: quod accidit, cùm in planta ſimul flores, ſemina, calices, folia & virgulta apparent, quemadmodum docet Galenus cap. 15. lib. 1. de Antidotis. Ex altera parte, iſtæ partes omnes ſimul ſunt terendæ, & priuſquam ſemina & virgulta ſint contuſa, florum vires conſumtæ erunt. Ac tametſi Dioſc. in ſua præfatione vult, vt plantæ eligantur, quando ſeminibus ſunt refertæ, hoc tamen Galeno non repugnat: nam ſi nimis anguſtè hoc intellexerimus, non ſolùm Dioſcoridi, ſed ſibi ipſi, in eodem erit loco contrarius. Eo enim tempore, quo planta ſemen profert, florem non retinet, imò frondes

quo-

quoque tum vt plurimum deciderunt, aut ſiccæ ſaltem & flaccidæ ſunt redditæ.

Itaque cùm dicit Galenus ſimul frondes, flores & ſemina eſſe accipienda, intelligit quando ſemina non omninò ſunt matura, & retinent aliquam partem florum, quo tempore frondes quoque adhuc ſunt in vigore: idque facile in Stœchade, Hyperico, Chamædry, & ſimilibus obſeruari poteſt. Sic Dioſcorides ab eo non diſcrepans, intellexit ſemina non planè matura, ſed propinqua maturitati, & quando adhuc flores quoque aſſunt. Nam ſi de maturis intelligi voluiſſet, nullius vſus frondes & virgulta, cùm iam ſicca ſint, amplius eſſent. At ſi ſola ſemina in planta requirantur, vt in Cumino, & Fœniculo, tum omninò matura colligenda ſunt, & expectandum donec planta exareſcat, modò non ſint planè caduca.

Ex his omnibus cùm iam conſtat, in vno aliquo ſimplici non poſſe vitari, quin nonnihil inter terendum de ſua qualitate decedat: quantò magis hoc continget in aliquo compoſito? Attamen hæc difficultas illi, qui diligentius de ea conſiderauerit, non adeò magna eſſe videbitur:

quoniam parum differre depræhendemus, conſiſtentiam ſeminum adhuc tenerorum, florum iam maturorum, & frondium non-nihil aridarum.

His itaque de cauſis omnibus iam enumeratis Ferdinãdus Imperatus, cuius antea fecimus mentionem, ſtatuit talem eſſe inſtituendam, qualem iam exponemus, teren di formam. Accipit primùm omnia ea, quę ad terendum idonea ſunt, & ſimul contundit, donec in craſſum puluerem nonnihil diminuantur, poſteà per cribrum largius excutit, & rurſum terit, donec vt primum factum eſt, diuidantur, & ſic per vices contundendo & ſæpe cribrando, per idem largius cribrum omnia ad æqualem conſiſtentiam reducit. Deinde iterum in mortarium ſimul omnia conijcit non nimis diu conterens, & per cribrum anguſtiſsimum cribrat, & quod tranſire nequit, rurſum breui tempore terit, & repetit cribrationem, & hoc vtrumque tamdiu agit, donec omnia per anguſtiſsimũ cribrum tranſeant: hocque pacto conſequitur id, quod alij qui omnia ſimul vno tempore terunt, obtinere nequeunt. Nam cùm neceſſariò id quod priore loco teritur, primùm redigatur in puluerem, ſtatim cùm bene eſt tritum,

tum, à reliquis quæ diutius teri debent, separabitur, nec relinquetur penes cætera, quia contunderentur supra modum: quare flores, vt qui primùm triti sint, primùm quoque cribrantur, adiunctis tamen illis partibus quæ facilè dissoluuntur, ex alijs duris simplicibus: vnde inter primas percussiones semper decidunt quædam minutissimæ particulæ: præterea cùm sæpe cribratione iterata examinentur simplicia trita, inde fit, primùm, quòd non vltra modum simplicia teruntur, deinde, quòd maior vino inde acquiritur, qui quidem principalis est scopus.

Possent etiam aliæ quæstiones afferri de modo ab Aëtio proposito, sed ne simus longiores, illas hîc prætermittamus: atq; satis sit scire modum Galeni pro optimo esse retinendum: vnum tantùm addendum: Aëtium ipsum quoque non exquisitè obseruasse in omnibus rebus, hunc per gradus modum à se propositum, sed solùm in illis paucis quæ quidem potissimùm eum requirere videbantur: nam & ipse omnia herbacea simul tundit, non separans semina à floribus, frondibus & virgultis. Itaque non quidem Aëtium repræhendo: sed Medici aut pharmacopolæ arbitrio permit-

to, an velit eum sequi nec ne, qui etsi sæ-
pius terendi operam repetat, in ijsdem
rebus tamen non videtur multum perire
posse, cùm addatur aliquid de vino, qui li-
quor quasi simul colligatas partes, ne exha-
lent, continet, & præsenti sua frigiditate
calorem pistilli, à quo aridorum vis expi-
rare solet, temperat. Cumque Aëtius scri-
bat se in Theriaca componenda sequi Ga-
lenum, alterutrũ necesse est vt dicamus, aut
quod Galenus aliquando illum modum
quoque obseruauerit, sed postea illum re-
liquerit, magis amplectens alterum tan-
quam commodiorem, librumque in quo
de eo tractauerit, iniuria temporum inter-
cidisse: aut cùm Aëtius dicat ex sententia
Galeni se Theriacam describere, tantùm
de eius compositione esse intelligendum,
non de præparatione quoq;, quam quidem
de suo ipse addiderit: quod etiam verisimi-
le esse inde apparet, quod Galenus tribus
diuersis locis de Theriaca agens, in libro
ad Pisonem, & altero de eius vsu ad
Pamphilianum, & in tertio, in primo
libro de Antidotis, illum tædio ha-
buerit; aliam insuper tractationem de
ea instituere: quod si prætereà alium li-
brum qui perijsset, de ea composuisset, sal-

tem

tem in istis tribus mentio eius aliqua facta reperiretur.

QVAM NECESSArius sit delectus simplicium in Theriaca.

CAP. XV.

Restat vt loquamur de simplicibus ex quibus Theriaca componitur, atq; indicemus quantũ referat, scire quæ sint vera, quę verò falsa. Vbi sciendu est tanti momenti omnia Medicamenta esse perfecta & legitima, vt nulla res alia Theriacam reddat præstantiorem, quàm hæc ipsa. Nam cùm post fermentationem huius compositi efficiatur aliquid tertium, in quo propter certam in eo proportionem non apparet amplius euidentior facultas vnius quàm alterius herbæ, imponaturque aliquod simplex optimis conditionib. prędi tum, & in sua specie perfectisśimũ, alia verò sint viribus debilia, propter vetustatem, vel aliam quãpiam causam, Theriaca ista retinebit facultatem peculiarẽ istius simplicis,

neque cum alijs ita miſcebitur, vt fiat, quem admodum diximus, aliquod tertium: ſicuti quendam feciſſe Galenus dicit, qui omne ſtudium adhibuit, vt haberet Opium præſtantiſsimum, atque ideò Thebis ex Aegypto, vbi colligitur efficacisſimum afferri curauit: ſed poſteà non eandem adhibens diligentiam in alijs ſimplicibus, Theriacam viribus & ſapore ſimilem Philonio, propter Opij narcoticam & ſtupefacientem faculta tem, ſuperantem alia, præparauit. Alij in eundem ceciderunt errorem, quòd tantùm hunc delectum quæſiuerint in Myrrha: alij in Croco, nonnulli in Galbano, quidam in Bitumine, quidam in alijs duobus tribúſve, aut pluribus rebus, quarum vis & facultas in illis Antidotis reliqua omnia vincebat.

Et ego memini quendam pharmacopæum, qui tamen Neapoli erat in præcipua autoritate, ante aliquot annos vendidiſſe Theriacam quandam, quæ nondum etiam naribus admota, fœtorem quendam moleſtum Caſtorei, qui omnem alium odorem vincebat, præberet. Quapropter prius vniuerſa ſimplicia diligenter debent examinari, an ſcilicet ſint collecta in illis regionibus & locis, in quibus ſunt efficaciora, habeantq;

beantque omnes illas notas, quæ indicant illorum perfectam naturam: nam sæpe vnum aliquod simplex deprauatum, instar ouis quæ totum gregem inficit, omnia alia corrumpit & labefactat. Quod non fit in alijs Antidotis ex paucis simplicibus constantibus, vt est Philonium, in quo etsi non omnia simplicia selectissima habentur, id tamen non ita multum refert. At si Theriacam aut Mithridatium, vel similem compositionem, quæ accipit magnum numerum Medicamentorum, parare voluerimus, & inprimis, vbi Cinamomum, quod validiss. & tam subtilium partium, vt vix aliud simile reperiatur, vsurpatur, necesse est nullum simplex assumi, quod non sit perfectissimum. Quod quantò est difficilius cognitu, tantò maiorem requirit diligentiam. Nam ferè omnia simplicia exotica ita adulterantur, vt sæpe etiam numero illi, qui in hac parte sunt exercitatissimi decipiantur: ideoque oportet nos habere in diuersis locis amicos fidos, quorum opera vera simplicia nancisci possimus. Nam & Galeni temporibus hac in re aliquid erat difficultatis: atque ideò ferè nusquam alibi poterat parari Theriaca, nisi Romæ, quò ex

omnibus nationibus quasi rarissima simplicia quotannis afferebantur, & quod magis est, vix sine Imperatorum auxilio, omnia quibus opus erat, in promtu erant.

Instituemus autem nunc vniuersorum simplicium, ex quibus Theriaca componitur, particulare examen, incipientes ordine ab illis, quæ sunt prima in compositione, relictis istis regulis vniuersalibus, de Medicamentorum simplicium delectu, ne scilicet simus nimis longi, & quoniam de illis abundè in 3. libro Methodi nostræ disseruimus.

EXAMEN EORVM simplicium, quæ sumuntur ad tria genera Trociscorum, nimirum Erui, Aspalathi, Asari, Mari, Amaraci, Calami odorati, & Iunci odorati.

CAP. XVI.



PRINCIPIVM compositionis huius constituunt Trocisci de Scylla, de qua quomodo tantùm interior pars, quæ magis est tenera, & alij medullam vocant, nonnulli cor sumenda sit, arbitror satis patere ex illis quæ diximus anteà in illorum compositione.

Eruum, siue Orobus, haberi potest Ferrariæ, Mantuæ, & alijs in locis Lombardiæ, in quib. copiosè crescit, & adhuc ibi antiquũ nomen retinet, atque istæ paucę notæ quas Diosc. illi attribuit, probè illi conueniunt. Alij, non sine magno errore, illius loco accipiunt Viciæ quandam speciem. Aëtius ad Theriacam iubet sumi Eruum coloris ruffi, & quod sit recens. Galenus in sermone de Theriaca vult ipsius farinam esse albissimam. Attamen in 1. libro, de facult. Alimentorum, cap. 29. commendat magis flauum, vel quod ad pallidũ colorem declinat, quasi magis sit medicamentosum quàm album: inq; eo cum Aëtio consentit. Neq; repugnat, ex flauo aut ruffo Eruo haberi posse albiss. farinam, cùm isti colores in sup̃ficie tantùm illud inficiãt, q̃ si farinę quoq; cõmunĩ carent, fieret illa amarissima, & propterea

nullius

nullius vſus eſſet, quemadmodum in Trociſcis indicauimus.

DE TROCISCIS VIPERI-*nis ſatis anteà locuti ſumus.*

IN Hedychrois primùm occurrit Aſpalathus, cuius ſecundum Magnum, cortex radicis ſumi debet: Sed hoc neque Dioſcorid. neque Galenus dicit: quare ſi quis lignum eius ex trunco, modò ſit graue, denſum, amarum, & odoratum, habeat, rectiſsimè illo vtetur. Huc vſque exiſtimarunt verum Aſpalathum eſſe lignum quoddã coloris flaui, quod Venetijs & Florentia fuit apportatum, in quibus locis ex eo globuli pro recitandis precibus parantur, atq; interdum Neapolim quoque afferunt, vbi vocarunt Santalum nonnulli, alij lignum Aloës, quanquam ab vtroque multùm differat. Imò aliqui volunt lignum eſſe Thures. Sunt prætereà qui pro Aſpalatho accipiunt ſpeciem illam ligni Aloës, quæ ex Rhodo affertur, quod quidem arbitror, ſi non legitimum fuerit lignum Aſpalathi, illius tamen loco ſaltem rectè accipi poſſe. Non diu quoque eſt, quòd ad me Melchior Guilandinus, peritiſsimus, ſi quis alius,

alius, rerum ſimplicium, fruſtum ligni Aſpalathi ad me miſerit prӕditum omnibus notis, quibus illud autores deſcribunt, idq́ue peculiariter ſpirabat neſcio quid odoris de Caſtoreo, ſicuti Plinius quoque vult. Idq́ue ſi haberi vbique poſſet, non nobis de ſuccedaneo eſſet multum laborandum. Neque dubito quin alij quoque ab iſto prӕſtante inueſtigatore ſimplicium impetrare poſsint, nam ego prius quoque ſpecimen eius vidi apud Imperatum.

Aſarum notum eſt: de quo radices ſolùm accipiantur, abiectis frondibus: quod multi, cùm non obſeruent, plurimùm errant: nam Galenus quoq; vult frondes eſſe nullius momenti. Sint autem radices firmę, odoratӕ, acutiſsimӕ, quoad guſtum, & non obſoletӕ: reperiuntur autem quouis loco.

Marum ſpecies eſt Maioranӕ iſtius, quam vulgò gentilem vocamus: alij Perſam gentilem. Neapoli in fictilibus ante feneſtras culta reperitur: Cuius Cimӕ ſumuntur quando plenę ſunt ſeminibus, cum nonnullis etiam adhuc floribus, & in vmbra per aliquot dies ſiccantur.

Amaracus, & Maiorana vulgaris, vna herba eſt: cuius pariter Cimӕ cum floribus & ſeminibus ſiccatis ad vmbram ſumuntur, voca-

vocatur adhuc paſsim vulgò, ſanfico, quia Latinè Sampſuchum dicitur.

Calamus odoratus non affertur, vtendũ itaq; eius ſuccedãeo. Diximus autẽ ſuprà, cũ ageremus de regulis ſuccedaneorũ de qbuſ dã ſimplicibus, q̃ non ſine errore illius loco aſſumũtur. Nũc verò hoc addendũ, in eodẽ libro de ſuccedaneis, q Galeno attribuit, loco Agalochi ſumi Calamũ odoratũ: cõtrariũ itaq; fieri etiã poteſt, ſumẽdo Agalochũ pro Calamo, q̃ ſubſtitutio cęteris pręferẽda tan quã melior: Nam Agalochũ quoq; calidũ & ſiccum eſt in ſecũdo gradu, vt ex Serapione colligit, & pariter aſtringens, amarũ, & odo ratũ, quẽadmodũ etiam Calamus: præter eà vt plurimum eſt lignoſum: quare omnes partes ſimiles ſunt: & tametſi neſcio qd acri monię in ſe Calamus cõtineat, quod in Aga locho nõ depręhendit, nihilo tamen minus cũ propterea gradus nõ mutent, & tantùm hoc augent ſubtilitatem partium, inq; alijs omnib. ꝓprietas ſit eadẽ, hoc nõ multũ curandũ eſt, donec aliud ſimplex ſeſe offerat, quod hac in parte illi adhuc magis ſimile ſit: nã raro admodũ omnia ſimul inueniuntur. Poteſt eqdẽ augeri nõnihil põdus, vt ęquet id qđ in Calamo virium prętereà reperitur, quẽadmodũ cum Caſsia fieri ſolet ꝓ Cinamomo:

momo: At nõ duplũ accipiat̃ (quoniam nõ ita lõgè differũt suis facultatibus) sed tertia pars tantùm, qđ etiã fecit Aëtius in sua Theriaca, sumendo nouem drachmas Piperis nigri, loco sex drachmarum albi.

Bononienses ꝓ vero Calamo receperunt in suã Theriacã Calamũ vulgarẽ: Nã iudicarũt, quanq̃ nõ ipsemet sit Calamus, obtinere tamẽ in calido & sicco, gradũ quoq; secũdũ, & alias de q̃b. diximus ꝓprietates, quod sanè à me quoq; nõ improbatur, nõ solùm quia veris rationib. innititur, sed etiam quo facilius Agalochũ pro Xylobalsamo substituere possimus, vt paulòpost dicet̃. Nam nõ conuenit vt bis vnũ simplex accipiatur, cũ prę sertim id necessitas minimè req̃rat, quẽadmodũ etiã multi ꝑstãtiss. Medici sentiũt.

Schœnanthos est res nota. Apud veteres in vsu erant flores eius & summitates iunci, atq; etiam radix, vt Dioscorides docet. Flores tamen in maiore erant precio: Qui tamẽ cùm rarius haberi potuerunt, nõ ideò quod olim Cameli in Arabia eos depascerent, sicuti vult Galenus 1. lib. de Antidotis cap. 14. sed quia nõ erat vsitatum illos ad alia loca deferri. Nũc verò copiosè afferri ceperunt, qui tamen depræhẽduntur esse exigui odoris & respectu ipsius iunci quasi nullius:

quare

quare ſimplicium periti omnes potius vſurpant iuncos quàm flores, quanquam illorum copia in promtu ſit. Galenus quoque laudat Cimas eorum: ſed videndum vt ſint odorati: nam ſi nonnihil veteres ſint, amittunt odorem: quod non difficulter depræhenditur. Ad nos quoque ex Arabia, quales Andromachus commendat, afferuntur.

DE COSTO, PHV, & Cinnamomo.

CAP. XVII.


OSTVS, quo vulgò in officinis vtuntur, falſus eſt, cuius loco ante aliquot annos Bononienſes & Patauini Zedoariam officinarum acceperũt: quæ olim quoque non pro Zedoaria, quia oblonga eſt, habebatur, nam Zedoaria, ſecundum Serapionem erat rotunda, ſimilis Ariſtolochiæ. Sed quantum ego ſciam, nõdum experientia cognitum eſt, an exterioribus membris appoſita exulceret carnes, quod Coſtus, vt Galenus tradit, ſolet facere. Inde

re. Inde enim graduum conformatio constitui posset. Verumtamen cùm in vulgari Zedoaria appareat satis magna acrimonia & notabilis amaritudo, videtur satis prope accedere ad qualitatem Costi, & credibile est apud me, quòd applicata exterius exulcerare etiam posset carnes: cumq; sit similiter radix vt Costus, & pariter odorata, substitutio hæc non caret ratione. Sed hæc dubitatio sola relinquitur, quod postea cognitum est, longam Zedoariam esse veram. Quanquam enim longa est radix, appendices illius tamen rotundæ sunt, quemadmodum apparuit in quibusdam frustis, in quibus adhuc simul colligatæ erant, partim longæ, partim rotundæ, cùm rotunda Zedoaria, quæ paulò ante hæc tēpora afferri cepta est, pro vera haberetur, cùm diuersa specie à vulgari longa minimè esse certum sit. At dubium est, quod Serapion dicat Zedoariam esse calidam & siccam in secundo ordine: sed Costus cùm exulceret carnem, erit potius in numero eorum qui excedunt gradum tertium, quare dici posset quod de vera hoc intelligatur & non de vsitata, quæ tanquam diuersa soleret substitui, quemadmodum aliqui dicebant: quanquam nos indicauimus esse vnam eandemque rem.

Sed hîc etiam responderi posset, regulam illam, quòd ea quæ exulcerant carnẽ, sint calida in quarto gradu, nõ esse semper veram: cùm sæpe illa qualitas calida sit alijs partib. quæ saporẽ dulcem & aromaticũ in se continẽt, cõtemperata: sicuti possum pluribus, si locus hic esset, demõstrare. Sed cùm verus Costus haberi queat, nõ opus est disputare de succedaneo: hũc ego primùm vidi apud Ferdinandum Imperatũ omnib. illis signis præditũ, quæ Galenus & Dioscorides illi attribuunt, & præsertim Arabico, quẽ Ferdinandus aiebat se nactũ esse opera amicorũ Patauinorum. Quod si aliquis diligentiam adhibeat, Venetijs quo sub nomine Costi affertur, habere poterit: cuius etiam ante paucos menses excellens Melchior Guilandinus specimen misit.

Phu verum crescit in regno Neapolitano, in Polino monte Calabriæ, & alijs locis, & Romę vbi in multis hortis colitur, abũdè haberi potest. Radix est longa, & crassa vnũ digitũ, & in circuitu villosa ex obliquo instar Hellebori, & in vno loco reperiunt multæ radices interdum ad 30. inuicem sese obliq; cõtingẽtes, odore planè refert Valerianam, attamen multò efficaciore. Andromachus ponticum eligit. Quod si ad manus nostras perue-

peruenerit ſolida, non exeſa, odore fragrantiſsimo, perfectiſsima erit, æque ac ea quę in Ponto creſcit. Vulgaris Valeriana nõ debet illius loco accipi: cùm veræ copiam modo diligentia mediocris præſtetur, haberi poſſit.

Cinamomum, aut quia non affertur ad nos, aut in tam exigua copia, vnà cum Caſſia aduehitur, ideò fit vt non ita cognoſcatur. Cùm verò Caſsię magna copia in promtu ſit, optimam facilè eligere, & ipſius duplum accipere poſſumus, propter eam rationẽ, quam ſuprà attulimus, eligẽda verò eſt ſubtilior, modò ſit guſtatũ acuta admodum, & odorem roſarum referat, colore in purpureo nigreſcente, quale illud fuit quod olim ab incolis Zigir appellabatur. Bona etiam illa eſt, quæ nonnihil habet rubeſcentis coloris, vel potius coloris elegantis inſtar Corallij, vini odorem referens. Debet autem omnis Caſsia eſſe cortice craſſo, ſed anguſta per ſe, & ſubtilis, & benè contorta, habẽs plures quàm vnam cannulam, leuis, non aſpera, aromatica, modicæ aſtrictionis, & inprimis ſapore acutiſsimo prædita.

Faciamus autem Cinamomi quoq; nonnullam mentionem, quo lectores eò maiorem habeant occaſionem de eo cogitandi: vnde

di:vnde fortasse aliquando continget, vt verum tandẽ exploretur. Galenus 1. lib. de Antidotis ca. 13. inquit, Adrianũ Imperatorem iussisse varia genera Cinamomi ex Arabia cum integris plantis apportari, & quòd tempore Seueri, qui & ipse Theriacam parari voluit, ipse coactus fuerit propter penuriam alterius, illud antiquius Cinamomum accipere, cuius formam describens, ait, simile esse Helleboro, vel potius Damasonio, quod etiam Alisma vocatur, vnde conijci potest, illum de albo Helleboro locutum esse, quia tam huius quàm Alismatis frondes Dioscoridi repræsentant plantaginem. Imò ambæ plantæ, Helleborus & Alisma, caules ferunt admodum similes. Vnde arbitror rectè nos posse affirmare, quòd frondes istæ, quæ à pharmacopæis vocantur Folium Indũ, aut Malabathrum, sint Cinamomi: cùm satis similes sint folijs Hellebori albi, Damasonij, aut Alismatis, vel Plantaginis. Quod confirmatur quoq; ex sapore tam frondium quàm pediculorum, potissimùm vbi trunco annectuntur: cùm planè gustu Cinamomum vulgare referant, nisi velimus dicere, esse frondes Cinamomi, hoc antea ponentes, quòd Casia frondibus & fructu similis sit Cinamomo,
quem-

quemadmodum etiam ſapore & viribus. Et cùm Galenus dicat Cinamomum mutari in Caſsiam, intelligendo hoc de ſimilitudine virgultorum, intelligit in alijs quoque ſimilia inter ſeſe eſſe. Quæ coniectura quoq; confirmatur ex eo, quod videamus de folio iam dicto copiam afferri, quemadmodum etiam Caſsiæ: & ſi Cinamomi folium eſſet, veriſimile eſſet in tanta abundantia frondium ſimul etiam virgultorum, aliquid aduehi. Quicquid ſit, hæc nota certè nos in cognitionem Cinamomi perducere poterit, ſpemque aliquam facere, vt illud aliquando inueſtigemus. Galenus etiam ait, vnamquamq; Cinamomi plantam inſtar parui fruticis producere, ex vna radice ſex vel ſeptem, plura paucioraque virgulta, inter quæ maximum non excedat menſuram pedis Romani.

DE OPOBALSAMO, & Xylobalſamo.

CAP. XVIII.



NON ero longior hac in parte, quoniam omni fermè ſpe priuati ſumus, nos aliquãdo Opobalſamo vero frui poſſe, cùm

Galeni quoq; temporib. rarissimum fuerit, & modicũ etiam illud quod afferabat, multis modis erat adulteratum, idq; tanto artificio, vt fraus à peritissimis vix depræhendearetur: Quid igit hoc tempore fiet, quo malitia hominũ & multiplices fraudes tantopere creuerunt. Dolendum itaq;, quod fortuna tam vtile & rarũ Medicamentũ nobis abstulerit, & diligenter cogitandũ, quid illius locũ adimplere possit. Diximus autem supra rationes, quare oleum Hyperici illius loco substitui non debeat. Atq; hîc illorum opinionem quoq; non recipiendũ esse existimo, qui Asarũ pro eo accipiunt, innitẽtes quadã autoritate Galeni 9. libro de comp. Medic. secundum loca, cap. 3. vbi Archigenes describit Medicamenta sua contra hydropem: in quorum compositione quadã ait, interdum loco Asari assumi Opobalsamum. Sed eo loco non tanquam succedaneum pro Opobalsamo intelligitur, sed potius vt variaretur facultas compositi: nam ratione Opobalsami minus calidum & magis penetrans quàm Asaro redditur. Nec probatur ille modus substituendi, quando Opobalsamum calidum in 2. gradu, pro Asaro calido in tertio vsurpatur: taceo alias diuersas facultates quas ambo habent: nam

Asarum

Asarum in potu exhibitum euidenter admodum corpus purgat, quod Opobalsamum planè nõ facit. Nec mihi etiam videtur conueniens, succum aliquem pro radice substituere, recordantes eorum praeceptorum quę suprà de substituendis Medicamentis tradidimus. Aliqui pro Opobalsamo accipiunt oleum Caryophillorũ, quod si extractum fuerit ex propria substantia ipsius fructus, & non per macerationem in oleo simplici paratũ, nõ est rationi contrariũ, cùm illa pars expressa sit subtilior & magis penetrans atq; odorata, & Caryophillũ quoq; habeat calidũ & siccũ in fine secundi gradus, quemadmodũ Opobalsamum. Sed multò melius, meo quidẽ iudicio, succedaneum est oleũ expressum Nuce vnguentaria, vulgò Moscata dicta, nam ex Caryophillis oleum sine magna vi ignis per Alembicum, & nisi prius maceretur in vino destillato, elici nequit: cùm insuper ignis multũ de subtilioribus ipsius partibus auferat. Quod si liquorem ex ipsius planta exudantem habere possemus, optimũ esset. Oleum verò Nucis Moscatæ tantùm extrahitur per vaporem vini, sine opera ignis, quare seruat proprietatem eam quæ est in ipsa nuce, eaque est quoque in 2. gradus fine calida

 & sicca:

& ſicca: & eiuſdem facultatis, vt vult Serapion, cum Caryophillis. Efficacius itaq; erit hoc oleum, cùm non ſit ita mutatum, magiſque ſit aromaticum & penetrans, & planè qualitates Opobalſami retineat. Venetijs nonnulli acceperunt oleum expreſſum ex ſeminibus pomi Citrij, alij oleum vetuſtiſſ. autoritate Auicennæ: ſed in hoc nihil prorſus eſt aromatici, in illo verò admodum parum: ſunt qui illius loco ſumant Balſamum artificiale, quæ tamen ſubſtitutio videtur mihi eſſe nimis affectata, accipiendo miſtionem multorum ſimplicium loco vnius, quæ abſq; dubio multas continent facultates alienas, quæ nulla ratione cum Opobalſamo quadrant. Quare contenti ſimus oleo Nucis vnguentariæ quanta fieri poteſt diligentia ex ipſis nucibus expreſſo, quod non deprauatum ſit cum alijs oleis, nucibus contuſis & cera, quale eſt illud quod Neapoli paſsim, admodum vili precio vendi ſolet. Eligendæ verò ſunt nuces recentes, pingues, ponderoſæ, non aduſtæ, quæ non ſint ſine ſucco, & à vermibus exeſæ.

Xylobalſamum quoque requirit ſuccedaneum, nam ne hoc quidem in Italiam importatur, & forſitan lignum Caryophil-
lorum

lorum non malè ſubſtituetur, quemadmodum etiam pro Carpobalſamo non perperam fructus Caryophillorum accipietur, propter rationes ſuperius commemoratas. Nam ſicuti tota planta Caryophillorum habet magnam ſimilitudinem cum tota planta Balſami, ita quoque fructus vnius cum fructibus alterius, liquor cum liquore, & lignum cum ligno, eandem ſeruant proportionem. Sed omnes periti rerum ſimplicium in hoc concordes ſunt, quòd loco Xylobalſami Agalochum ſumi debeat, id eſt, lignum Aloës vulgare, non tantùm propter graduum in primis qualitatibus ſimilitudinem, ſed etiam conformationem partium, cùm vtrumque lignum ſit odoratum, & ambo habeant partes terreſtres, & in facultatibus peculiaribus quoque conueniant.

Hîc etiam aliquid diſſeramus de Carpobalſamo, quanquam ad hoſce Trociſcos non pertineat, ne tamen rurſum in ſimplicibus Theriacæ de eo nobis ſermo ſit faciendus, hîc propter eandem materiam aliquid de eo dicetur. Perperam autem fit, quod veri Carpobalſami loco vulgare accipiatur, nam illud idem eſt quo tempore Dioſc. ipſum adulterabatur: atque afferebatur

batur de quodam castello Petra dicto, semenq; simile planè erat Hyperico, & saporem referebat Piperis. Quare multò facilius illius loco Cubebam substitui possunt, non quòd illæ sint veræ Arabum Cubebæ, & propterea Carpesium Græcorum, sed quia ex sapore & odore eorum apparet, magnam inter hæc esse similitudinem: atque in hac sententia fuerunt Medici Bononienses, Patauini & aliarum celebrium ciuitatum. Sciendum tamen tres esse species Cubebarum, quæ peritis simplicium notæ sunt, quanquam in officinis vna solummodo cognoscatur, è quibus melior illa erit, quæ adhuc in siliquis continetur: nam sapore & odore alijs præstantior habetur.

DE FOLIO, NARDO *Indica & Myrrha.*

CAP. XIX.



AN Folium & Malabathrum sit vna atque eadem res, pluribus posset disputari: Nam si descriptionem Dioscoridis inspiciamus, nullam esse differentiam inter hæc duo apparet. Ait enim Mala-

Malabathrum esse frondem quandam quæ innatans aquæ in paludibus Indiæ sine radice, quemadmodum Lens palustris viuat. Vnde cùm tota planta nihil aliud sit quàm frondes, videtur potuisse absolutè appellari Folium, & hac ratione Medici nunc hoc nunc illud nomen vsurparunt, idq; eò magis, quòd neque Dioscorides neq; Galenus peculiarem de Folio mentionem fecerint, quod patet ex descriptione Theriacæ: nam in ea quam exponit Galenus in 17. cap. lib. 1. de Antidot. versibus hexametris, accipitur Folium, in alijs nonnullis Folia Malabathri, & in ea quæ secundum Andromachi iunioris sententiam describitur, absolutè Malabathrum nominatur. At cùm in Diosc. lib. 11. cap. de viperis, reperiam, ad conciliandum odorem viperis adijci aliquid Folij vel Malabathri, dubium me reddidit an sint res diuersæ: cùm præsertim Galenus libro 7. & 8. de simplicibus Medicamentis, in duobus locis vocet Folia Malabathri. Sæpius quoque videmus in compositis Medicamentis veterum, assumi frõdes Malabathri. Vnde satis certũ esse videtur, alias etiam partes præter frondes habere, quemadmodum patet ex multis compositionib. Theriacę, & peculiariter ex illa, quæ est Andromachi senioris,

nioris, item Damocratis, & Aëtij, in quarum vnaquaque accipiuntur frondes Malabathri. Sed hîc non eſt locus vt hanc dubitationem ſoluamus, nam quicquid ſit, hac ratione nec Folium neque Malabathrum inueſtigabimus: quoniam nec vnum nec plura ſimplicia afferuntur ad nos, quæ indicare nobis verum Folium aut Malabathrum poſſent.

Ac tametſi video eſſe quoſdam excellentiſsimos viros noſtro tempore, in ea opinione, quòd iſtæ frondes, quæ afferuntur inſtar plantaginis, ſed cum tribus ſolummodò neruis, ſapore & odore aromatico, ſint veræ Malabathri frondes, adducti nô leuibus rationibus, quæ confirmantur autoritate iſtius Garziæ, qui nuper librum de Aromatibus Indiæ cōpoſuit, qui & ipſe hoc aſſeuerat, & ſeipſum vidiſſe recentes ipſius plantas dicit: nihilo minus ego huic opinioni aſſentiri nequeo, nam guſtus neceſſe eſt vt ſit verus huius rei iudex. Cumque Dioſc. velit, Malabathrum eſſe odore & ſapore ſimili Nardi Spicæ, & Galenus quoque dicat, ſimilimam facultatem cum Nardo habere, 7. & 8. lib. de ſimplic. Medicamentis, imò tanta ſit eius cum Nardo ſimilitudo, quòd nonnulli (ſicuti Dioſc. vult) hanc ſo-

Iam ob causam existimauerunt hęc Folia esse ex planta Nardi Indici. Sed si verum fateri volumus, cùm nõ reperiatur in hisce Folijs trineruijs, vt ita dicam, quæ vulgò sub nomine Folij Indici circumferuntur, neq; sapor nec odor Nardi, non video quo pacto mihi persuadere posim, has frondes esse veri Malabathri dicendas.

Quod verò Garzias suam interponat fidem, volo quidem ipsius causa hoc non negare, sed tamen hac ratione, vt de mea sententia non recedam. Nam cùm depingat ille frondes Casiæ eadem forma prorsus cum illis Malabathri frondibus, dicam propterea eas quæ huc afferuntur esse Casiæ? quod confirmat sapor illarum, planè similis sapori Cinamomi vulgaris, quemadmodum anteà in Cinamomi expositione indicauimus, & quòd frondes Malabathri, quæ debent saporem & odorem Nardi referre, remaneant adhuc in finibus natalis Soli, & communiter ad nos non afferantur. Garziam verò, qui eas in Italia vel Hispania videns, posteà in India frondes Malabathri quoq; conspexerit, deceptũ ista similitudine, existimasse, eas quæ in Italiam apportantur, prouenire ex ista planta. De qua tamen re cogitabo diligentius, si librum ipsum

ipsum Garziæ, quem nondum videre licuit, nactus fuero.

Ferdinandus Imperatus mihi monstrauit duo genera istarum frondium, quæ vulgò Folium Indicum nominantur: quorum vnũ, vt diximus, saporem habebat Cinamomi vulgaris: alterum diuersum planè ab illo priore, quanquã & ipsum aromaticum, formam autem habebant similimam. Nec tamen dici potest, alterum genus esse Malabathrum, cùm sapor Nardi non assit, quare existimo potius esse speciem Cinamomi minus boni.

Cùm itaq; careamus & Folio & Malabathro, (si fortè sint res diuersę) necesse est nos ad succedaneũ cõfugere: & ponẽtes modò esse res diuersas, cũ Galeno dicamus, rectè illius loco accipi Nardum, propter maximã similitudinem quã habent in sapore, odore, & facultatibus cæteris, ex quibus omnes necessariæ cõditiones in substituendis Medicamẽtis hauriuntur. Liber de succedaneis Galeno adscriptus rectè putat pro Malabathro Nardum accipi: quãquam postea quædam omittat. Nam cùm dicat Dioscorides Malabathrum quidem habere facultatem Nardi, attamen esse in omnibus validius & efficacius, ac inprimis ad ventriculum roborandum

randũ & prouocandum vrinam:(quod procul dubio ex ipſius caliditate maiore orit:) ideò melius ſuccedaneũ quàm Nardũ Celticam habere non poterimus: cùm idē Dioſcorides illi attribuat in corroborando ventriculo & prouocanda vrina eaſdem vires,& Galenus quoq; aſſerat eſſe nonnihil calidiorem. Vnde colligi poteſt Celticam eſſe calidam & ſiccam in 2.gradu, in quo etiam Malabathrum ab Auicenna collocatur.

Prætereà eò rectius in hiſce Hedychrois hoc loco Nardus Celtica vſurpatur, quia ſi Indica acciperetur, bis in hac compoſitione ipſa quoque poneretur. At in Theriaca, quoniam Malabathrum quoque reperitur, accipi poſſet Nardus, addendo tamen aliquid ponderis, vt exæquetur id quod in Malabathro magis eſt efficax: & hoc eſſet fortaſſe tertia inſuper eius pars. Et quanquam hic Nardus rurſum aſſumatur, neceſſe eſt tamen nos facere quod poſſumus, quoniam aliud nihil rectè ſubſtitui poteſt, niſi Nardus montana fortaſſe inueniretur, qui loco Celticæ, cùm ſit eiuſdem facultatis, ſecundum Dioſc.accipi poſsit: quæ ſi eſſet nonnihil debilior,(vt ait Galenus) nihilominus addi poſſet dupla, tertia, aut quarta inſuper eius pars, vt par

vtpar esset eorũ vis, sicuti fieri solet in Cassia loco Cinamomi. Nec impediat nos, quod frondes vnius, alterius verò radices sint, nam vtrumq; potest teri, & de Celtica quoque in vsu sunt cauliculi, (vt Dioscorid. scribit,) vnà cum folijs eiusdem naturæ.

Fieri etiam potest, vt pro Malabathro substituatur eadem ratione Phu: nam ita refert Nardum, vt nonnulli propterea Nardum syluestrem vocauerint, calidumq́ue & siccum sit in 2. gradu, quemadmodum & Malabathrum, sicuti nos manifestis argumentis declarauimus in nostris Commentarijs in Dioscoridem, ad quos remittimus lectores. Vnum hoc addamus, Galenum 8. de simplicib. Medicament. voluisse facultates Phu colligi de ijs quæ dicta essent de Nardo Indico, simili planè facultate prædita, nec in alio differente, nisi quòd Phu sit validius.

Vnde colligitur Phu & Nardum Celticam, esse eiusdem gradus, & similis naturæ: & pariter pro Malabathro posse accipi.

Superioribus annis Veneti & Bononienses loco Malabathri acceperunt Macim, illud reticulum quod inuoluit Nucem Muscatam: Quæ tamen substitutio non ita videtur esse approbanda, quia mul-

tùm

tùm hæc inter ſeſe differunt. Malabathrum enim multas habet partes terreſtres, quæ ſi leuiter coquantur, omnem odorem amittũt: Macis verò eſt oleaginoſum & pingue, & bulliendo parum vel nihil de illo abſumitur. Vnde videtur, quòd in ſubſtitutione planè nõ ſint eiuſdem generis. Omitto aliorum opinionem, qui affirmant Macim eſſe calidum & ſiccum in tertio ordine, idq́ue ex ſua acrimonia conijciunt; quare vno gradu ſuperabit Malabathrum: cùm inſuper Macis habeat neſcio quid Nardini, id eſt, ſaporem & odorem iucũdum, cõmiſtum, cum aliqua tamen ingrata qualitate, vt in Phu & Nardo Celtica, Indica, & Montana quoque dephrehenditur: vnde proximè ad Malabathri naturam accedunt. Hanc eandem ob rationem illos quoque non probamus, qui pro Malabathro ſubſtituunt Caſsiam græcorum, quam tamen ipſam non ita facilè reijceremus, ſi aliter facere non poſſemus.

Sequitur Nardus Indica, quæ tam per ſe quàm ſuccedanei loco in Theriacam accipitur: quare opus eſt conſideratione hac in parte diligenti, & videndum, an Spica Nardi, quæ in officinis habetur, ſit vera necne: quæ tametſi radix ſit, propter ſimilitu-

dinem tamen vocatur Spica, ſecundum Galenum lib. 1. de Antidotis, obſeruandum quoque ne coctione de ſua integritate aliquid deceſſerit & adulterata ad nos afferatur. Nam olim vnguentarij quoque per decoctionem id quod optimum erat, extrahebant, reliquum verò rurſum planè expers ſaporis & odoris vendebant. Idque noſtro tempore facilè etiam poſſet contingere. Quapropter tutius erit de eo accipere, vbi adhuc aliquid terræ odoratæ adhæret, non tametſi ad illud coctum quoque aliquid iterum terræ addi queat, ea tamen omni odore deſtituta eſt.

Dubitari etiam poteſt, an Nardus vna eademque res ſit cum Spica, quia à Galeno 9. libro, de compoſitione Medic. ſecundum loca, cap. 4. vbi tractat de Medicamentis colicis Andromachi, in vnam eandemque compoſitionem accipitur Nardus & Spica, tanquam res diuerſæ. Et in principio 8. libri, de compoſitione Medic. ſecundum loca, vnguentum Spicatum & Nardinum, tanquam inter ſe diuerſa ponuntur. Sed propter vnum vel alterum hūc locum, ab eo quod tamen multorum aliorum autoritate receptum eſt, recedere non debe-

debemus, quanquam non improbandum sit, talibus quæstionibus excitari ingenia, & offerri occasionem cogitandi de multis vtilibus rebus accuratius.

De Caßia satis multùm diximus in Cinamomo.

MYRRHA, & Bdellium, quæ in vsu habentur, tam similia inter se sunt colore, sapore, & substantia, vt communiter omnes vtrumque id vnam speciem faciant. Huius partes puriores sub nomine Bdellij, minus verò putas sub Myrrhæ ad nos miserunt mercatores. Vnde posteà opinio fuit vtrumque Myrrham esse, & Bdellium hoc tempore ad nos non afferri: cumque opus esset Myrrha, Medici puriorem partem Bdellij, falsò ita dicti, sumebant. Et quanquam hoc legitimum fuisset, nihilo minus vna atque altera species est arida, nec apparent in illo venæ istæ albicantes per medium transeuntes instar vnguium. Postcà tamen ceptum est apportari

 aliquid

aliquid de Myrrha ſucculenta, pingui, & bona, cum omnibus illis notis, quas perfectę aſsignat Dioſcorides.

Sapore enim eſt amaro & acri, bono odore prædita, quæ fracta interius habet venas quaſdam albas inſtar vnguium, & color eſt ſplendens & pallidus, & hæc eſt ſeligendæ ipſius ratio. Nam, quemadmodum Rondeletius quoque rectè annotauit in capite de Gobio piſce, græca dictio ὑπόχλωρος, intelligi poteſt de colore ſubuiridi, & etiam palleſcente.

Hîc autem in ſecunda ſignificatione accipi debet: nam ſi Myrrham ſubuiridem quæreremus, nunquam eiuſmodi inueniremus. Talem ſpeciem bonæ Myrrhæ primùm vidi apud Ferdinandum Imperatum, qui pro ſuæ officinæ vſu, non ſine labore, Venetijs eam ſibi curauerat apportari: atq; idem quoque mihi Opocarpaſum, repertum inter Myrrhę fruſta monſtrauit. Ideoq; dicit Galenus 1. lib. de Antidotis, cap. 11. Myrrham tranſmutari in Opocalpaſum, ſuſcipiendo non ſolùm ipſius figuram, ſed venenatam quoque eius qualitatem: quapropter Dioſc. de Opocarpaſo, hoc eſt, de ſucco Carpaſi (nam ita vocat illud, non Opocalpaſum, vt Galenus) loquitur inter venena

nena in 6. libro. Cùm verò multi vidissent hanc Myrrhæ speciem mirabiliter prodesse in morbis oculorum, putantes eiusdem facultatis esse in interioribus affectibus, in causa fuerunt, quòd multi, qui illum assumserint, inde mortui fuerint. Hanc itaque transmutationem Myrrhæ in Opocalpasum, anteà non à me visum fateor primùm Imperatum mihi monstrasse.

Quanquam autem non vbique verum Opocalpasum ad manus sit, cum quo Myrrha cõferri possit, nihilominus si in Myrrha animaduerterimus multas esse glebas diuersas admodũ, quoad odorẽ & saporem, differentes à vera, non absque ratione indicabimus eam mutatam esse in Opocalpasum; nam etsi tam colore quàm substantia repræsentet speciẽ præstantissimæ Myrrhæ, cum venulis quoque interioribus albis, instar vnguium, tamen qui diligentius illam examinauerit, non habebit amplius Myrrham: apparent tamen puncta quædam rubescentia & lucida: & cùm non sit Myrrha, quamuis primo intuitu esse videatur, statuatur esse succus iste per transmutationem ex Myrrha factus Opocalpasum.

Vnde diligenter est aduertendum, ne dum Myrrham probam existemus nos ac-

cipere, similitudine hac decepti eligamus hoc venenum. Quod antiquis temporibus ad ocularia Medicamenta vsurpabatur, propter facultatem consumendi saniem, & quia initio suffusiones curabat, quanquam intra corpus venenatum planè esset.

At certè magna vis est naturæ, quod rem quandam ita efficacem contra venenum, transmutet in perniciosissimum venenum. Ita quoque Galbanum mutatur in Sagapenum, & Casia in Cinamomum, quemadmodum Galenus dicit in loco iam commemorato: vbi differit, quo pacto non nunquam species quædam in alteram commutetur. De quibus admirandis certè transmutationibus verbosius locutus sum in 2. libro, meæ Methodi, cap. 11. Vnde ad primum nostrum propositum reuertentes, dicimus Myrrham succiplenam, & pinguem ad hos Trociscos Hedychroos accipiendam, & adhibendum esse diligens studium, vt Venetijs, vbi non ab vnoquoque cognoscitur, posit comparari. De Bdellio autem loquemur in Mithridatica Antidoto, ad quod etiam vsurpatur.

DE CROCO, AMOmo, & Mastiche.

CAP. XX.



VANQVAM nos nō habemus Crocum Corycium, id non tamen parum refert: nam tametsi Galenus dicat, quòd sit illud magis vegetum, non tamen quoq; odoratius alijs: propterea si Crocum habuerit odorem perfectum, & longo tempore durantem, parum interest an sit vegetum vel aridum: quòd si istud etiam affuerit, eò erit melius, sit itaq; recens, coloratum, & habeat in suis filamentis nonnihil albicantis, sit longum, integrū, non fragile, plenum, & quod madefactum benè tingat manus, non situm oleat, neque sit humidum & nonnihil acutum. Quod si has notas non habuerit, aut erit exoletum, aut madefactum: cumq; ita soleat ingeniosè adulterari vt vix deprǽhendi fraus possit, ideò per aliquot dies prius necesse est vt ad vsum transferamus: & si tum viderimus illud retinere colorem & odorem quem primum

habebat, tenebimus pro bono: ſin minus, pro adulterato, nam tale neque odorem neque colorem bonum diu retinere poteſt.

Amomi planta eſt ignota, cuius loco collocabimus Acorum: nam Galenus 6. lib. ſimplic. Medicament. hæc ſimilis eſſe facultatis ſcribit: niſi quòd Acorus ſit illo ſiccior, hoc verò magis concoquat: quanquam in exigua differentia hoc præſtent: cumque nullum aliud magis conueniat, cogimur intereà hoc vſurpare. At quid ſit Acorus, non parum inter ſe diſſentiunt periti ſimplicium: ego tamen exiſtimo eſſe eam radicem quam Seplaſiarij vocant Galangam maiorem, quia acuta eſt quoad guſtum, & nonnihil amara, & alias quoque notas habet quas illi Dioſc. attribuit.

Alij putant eſſe Calamum aromaticum vulgarem: ſed anteà vnà cum illis concluſimus pro Calamo odorato, hunc Calamum vulgarem eſſe accipiendum, qui etſi non eſſet ille antiquorum Calamus, gradibus tamen & viribus ſatis ſimilis eſt: quare hac in parte illis conſentire non poſſum: nam cùm Acorum ſit calidum & ſiccum in 3. gradu, Calamus verò non vltra ſecundum, neceſſe eſt fateri, aut ſubſtitutionem non

non esse probam, aut Acorum non esse istum Calamum. At hoc quia vnà cum ipsis pro vera substitutione idque veris rationibus probauerimus, relinquitur Calamum vulgarem non esse Acorum. Quare substituamus pro Acoro Galangam maiorem.

Et, si forsitan aliquis diceret, hanc esse radicem, Amomum fructum, in hoc quoque iuncti poterimus autoritate Galeni. Sed & nos dicemus fructus quoque habere in se aliquid duri & terrestris, pariter atque illa radix habet: quanquam ego in ea sum opinione, quòd lignum Amomi, quando nondum fructus aut racemi sese explicuerint, sit vsurpandum, quod ex Diosc. colligitur, & rationes exposui in 3. lib. Methodi nostræ de simplicibus, quas tamen non abs re erit hîc repetere.

Prima itaque est, quòd Diosc. scribit, adulterari Amomum cum simili quadam herba, quæ nullum habeat fructum: iam si fructus in vsu fuisset, quare cum eiusmodi planta sine fructu falsificari potuisset? vnde colligi potest lignum & stipitem fuisse in vsu. Deinde non vult accipi fragmenta sed surculos integros & vegetos, quod de fructibus intelligi nequit. Prætereà eligitur odoratius, & quod non sit cariosum. Caries

verò magis propria eſt lignis quàm fructibus. Erant autem vuæ quoque Amomi in vſu, ſicuti ex multis locis Galeni apparet. Et Damocrates in ſua Theriaca Amomi racemos accipit. Sed Andromachus Amomum racemoſum non racemos, quia inter ſe differunt, habet. Nam intelligi poteſt de ſurculis, qui in notam bonitatis haberent ſemen vel vuas appenſas: quare in Græco legitur βοτρυοέντος: & in Latino racemiferi: quanquam propriè magis racemoſi dicatur. Quod ſi ita eſt, ſimilitudo ſubſtantiæ magis inter ea confirmabitur, cùm & Galanga maior, & ſurculi de Amomo ſint lignoſæ naturę.

Maſtiche omnibus nota eſt: eligitur ea quæ candida eſt inſtar ceræ Venetæ, pellucida, ſyncera, plena, ſicca, fragilis, odorata, & ſtridens: Nigra, viridis, liuida, aut impura nullius eſt momenti. Adulteratur Thure, & Reſina ex Pini corticibus, ſed odore fraus ſtatim depræhenditur.

De vino Falerno, quo omnia in Hedychrois Trociſcis miſcentur, poſtea in Theriacę examine loquemur: Hęc iam ſatis ſint ad declarationem omnium Trociſcorum.

EXA-

EXAMEN SIMPLICIUM Theriacæ, quæ collocantur in secunda classe, Piperis nimirum longi & Opij.

CAP. XXI.



IN 2. ordine Theriacæ quatuor erãt Medicamenta posita: duo genera Trociscorum, de quibus satis multùm diximus: Restant reliqua duo, deque hisce iam sermonem instituemus. Primum est Piper longum, quod tempore Galeni dupliciter adulterari solebat, vt tradit 4. libro de conseruanda bona valetudine cap. 5. & 6. qua ratione hoc nostro seculo facilè quoq; poterit adulterari. Quare animaduersione diligenti opus est. Primo modo adulterabatur Alexandrię nescio qua mistione, quæ proximè accedebat ad legitimũ Piper, nam & longitudine & crassitie planè erant similia, ad saporem verò acrem illi con-

illi conciliandum, miſcebant aliquid Pyrethri, aut ſeminis Napi. Alter modus erat, quod pro eo aliud germen cuiuſdam herbæ ex regionibus longinquis allatum, formam quidem planè referens Piperis, ſed non ſaporem eius vendebant. Ratio autem dignoſcendi hæc erit. Primùm guſtu diligenter eſt depræhendendum, an ſaporem habeat Piperis: nam facilè internoſcitur an acrimonia eius ſit à Pyrethro, aut alia herba acris ſaporis, aut ab ipſo Pipere, cuius ob continuum vſum in ciborum condimentis ſapor omnibus eſt cognitus. Neque hac nota contenti, in aquam inſuper infundamus: Nam vel primo vel ſecundo modo adulteratum, non vnum integrum diem in ea perdurat, ſed ſtatim liqueſcet, quod in vero Pipere non accidit. Præterea pediculi conſiderentur, nam facilè apparet an naturaliter vel artificio aliquo parati adhæreant. Eligantur itaque pro legitimo integrum, & vegetum, boni odoris & non carioſum. Nam facilè ſolet exedi.

Opium quod communiter in vſu eſt, potius Meconium quàm verum Opium repræſentat: Quæ autem ſit differentia inter hæc duo, Dioſc. exponit, vocans Meconium ſuccum Papaueris extractu ex capitibus

bus & frondibus, qui contundatur & exprimatur torculari, & rursum in mortario cõtusus in Trociscos formetur. Tametsi Plinius dicat capita & frondes Papaueris coqui, & inde succum densatum nominari Meconium: At quocunque modo fiat, certum est esse multò infirmius Opio. Quod secundum Diosc. hoc pacto paratur. Cùm in eo ros euanuerit, cultro stellam in parte suprema capitis Papauerini, non tamen profundè incidamus: deinde superficiem capitis decussatim quoque cultro aperiamus, & digito in concham liquorem resudantem exprimamus: idq́ue sæpius paruo interiecto temporis spacio repetendum est, propter humorem qui statim congelatus reperitur: idemq́ue sequenti die factitandum: hocq́ue omne tandem in mortario contundendum & indè formandi pastilli, sed quando Papauera inciduntur, à tergo accedendum est, ne vestibus liquor erumpens auferatur.

Cùm itaque maxima frusta nostro tempore Opij conspiciantur, non aliter possumus dicere quàm illud aut per expreßionem aut decoctionem esse factũ: idq́ue eo magis quod notas à Diosc. illi aßignatas non habeat. Nam optimum debet esse densum,

ſum, graue, amaro guſtu, ſomnifero odore; quod in aqua facilè diſſoluãtur, leue, albũ, non grummoſum aut granis ſimile: quod inter colandum non inſtar ceræ coëat, & ſoli expoſitum liqueſcat, atq; accenſum nõ flammam atram emittat, extinctumq; retineat odoris priſtini vires. At vulgare nigrum eſt, & impurum, aſperum, inæquale, refertum frondibus, è quibus expreſſum vel decoctum eſt: & inſuper multæ aliæ notæ ſuæ perfectionis deſunt: prætereà ſuſpicandum eſt, ne aliud inſuper quippiam quàm ex Papauere illi admiſtum ſit: nam tempore Dioſcoridis cum Glaucio, cum gummi, & ſucco Lactucæ ſylueſtris adulterabatur. Nonnulli eo quoque dementiæ peruenerunt, vt ſeuum admiſcuerint.

Vnde videndum diligenter vt lacrymam Papaueris, & non ſuccum, iam dictis modis extractũ adipiſcamur: cùm Opium ſit vnum ex præcipuis Medicamentis, quæ Theriacam conſtituunt: & ob eam cauſam attentionem magnam requirat. Quod ſi omnibus iam enumeratis notis præditum Opium haberi poterit, non multum de Thebaico ſoliciti ſimus, nam Papauer quod in Apulia creſcit, regione ſicca & arida, in qua rarò pluuiæ cadunt, perfectiſ-
ſimum

ſimum eſſet, ad lacrymam parandam, modò diligenter ſecundum doctrinam Dioſc. colligeretur. Seritur autem copioſè ibi potiſsimùm in ducatu Barcenſi non quidem nigrũ, vnde vult Dioſcorides fieri Opium, laudabile, ſed album, vnde lacrymam colligunt, quam tametſi ipſemet colligi non viderim, nihilominus conſpiciuntur omnia capita albi Papaueris quibus in officinis noſtris vtimur, eſſe notata quadam ſectione in quatuor partibus eo modo quo ſolent ſecari Pepones, ad lineas parallelas. Vnde colligi poteſt inde ablatum eſſe lacrymam. Cùm verò ex albo Papauere ſit deſumtum, aliquæ notæ illi deeſſe videntur, quas Dioſcorides legitimo Opio attribuit, quanquam & ipſum ſit validum ſomniferum, ſicuti experientia teſtatur.

DE SIM-

DE SIMPLICIBVS tertiæ claßis, qualia ſunt Roſæ, Iris, Glycyrrhiza, Napus, Scordium, Opobalſamum, Cinamomum, & Agaricum.

CAP. XXII.

Rosae optimæ haberi poſſunt Neapoli, aut Salerni. Sunt autem præſtantiſsimæ rubeæ, quinque folijs conſtantes, coloris viuidi, nonnihil in purpureo nigreſcentis: ſuntq́ue omnium primæ quæ aperiuntur. Debent autẽ à calcibus mundari, & cum forcipe ablata parte illa prius albicante, quem vnguem vocamus, in vmbra ſiccari, ſæpius vertendo: nam facilè mucorem contrahunt.

Iridem ex Illyria accipi vult Andromachus non ſine ratione: nam ſi eam conferamus cum altera quæ in Africa creſcit, reperietur ſecundum Gal. 1. lib. de Antidotis, vnum alteri præſtare quantum viuum

corpus cadaueri. Quanquam quæ creſcit in alijs quibuſdam locis, non multum Illyrica eſt inferior, & ex noſtris Florentina eſt pręſtantiſsima: nec in Illyriam eam ob cauſam neceſſe eſt nos mittere, cùm alibi quoque laudabilis reperiatur. Quòd ſi quis eam diligentiam adhibeat, vt ex Illyria afferendã curet, proculdubio multum proderit: at ſi ex alijs regionibus eam accipere neceſſe ſit, operam det, vt haſce notas habeat: nimirum vt ſit denſa, dura, rubeſcens, breuis, odorifera, guſtu mordax, ſine mucore, & quæ inter terendum ſternutationem excitet, quod de Iride abſolutè ita dicta intelligendum eſt.

Sciendum quoq;, quantum ad colorem Florentinam eſſe albam, quemadmodum & aliæ quas hucuſq; in Italia vidi, vnde non nimis ſolicitè colorem rubeſcentem, qualis in ſola Illyrica apparet, nos requirere oportet. Neque refert quod Galenus cap. 23. lib. 4. de ſimpl. Medic. quaſi generalem regulam tradat, omnia quæ colore fuluo, aut flauo aut rubro ſint prædita eſſe calidiora albis: & exemplum affert de Iride, quoniam Damocrates, vt patet ex eodem Galeno libro 8. de compoſ. Medic. ſecundum loca, cap. 10. vbi ad quoddã Malagma quod

pro Epate conficitur. accipit Iridem albam.

Succũ Glycyrrhizæ,ſi quis dubitaret an eſſet adulteratus qui aliò affertur,ipſemet parare poſſet,acceptis radicibus quæ creſcunt in Apuliæ aridis locis in magna copia. Extrahitur autem hac ratione. Primùm radices tunduntur, deinde aliquot dierum ſpacio Aqua macerantur, & coquuntur:poſt coctionem eximuntur, & liquor ille rurſum tamdiu coquitur donec inſtar mellis craſſeſcat.

Napus,qui alio nomine Bunias vocatur, differt à Bunio, nam Dioſcorides de Buniade loquitur in lib.2.inter plantas oleraceas, & Galenus inter Raporum genera recenſet 2. libro de Alimentis: vbi ait, nihil intereſſe, ſiue Buniadem, ſiue Gongylidem, quod Rapum ſignificat, vocemus. De Bunio vero agit Dioſcorides 4. libr.attribuendo illi folia Apij. Vnde manifeſtum diſcrimen apparet: idq́ue eò magis confirmatur, quia loquens de Pſeudobunio,ait eſſe ſimile Bunio vero. Quare videtur Plinius rem non benè intellexiſſe, vbi Buniadem cum Bunio confundit: nam ſolam Buniadem (de qua Andromachus hîc agit) legimus valere contra venena.

nena.

nena, eamque ob causam sæpè Antidotis admisceri. Bunium verò diuersam obtinet facultatem. Non itaque mirum esse debet, si reperiatur ad quasdam Theriacas Rapum syluestre vsurpatum fuisse, in altera verò, sicuti in ista, Napus siue Bunias, nam prorsus eiusdem generis plantæ sunt: & credibile est, Galenum semen Rapi ad suam Theriacam vsurpasse: cùm nullā differentiam inter Buniadem & Gongylidem constituat; & quoniā admodum difficulter sciri potest, quæ planta propriè sit Napus, ego quoq; assererem, accipi posse sine periculo semen Rapi: non tamen propter autoritatem tantummodò Galeni, sed quia & ipsum prodest contra venena lethalia. Atque eam ob causam sæpius Antidotis, & præcipuè Theriacæ admiscetur, vt Dioscorides docet.

Sed eundem quoq; iudicasse Napum esse Rapi speciem, inde manifestum est, quòd statim post Rapum de eo sermonem inferat. Hoc semen debet esse sapore acri: nam suprà diximus vnà cum Galeno, quod cum ipso adulterabatur Piper longum, propter saporem acrem illi conciliandum. Cùm verò nonnulli pro Napo accipiant, quos vulgò vocamus Naenos, & Neapoli

Rapum Catalonense, quanquam nonnihil verisimile sit: tamen quia semen eius parum acre est (aut propter nimiam culturam, aut quia verus Napus non est) videtur melius esse, accipere semen Rapi satis noti, de quo nulla dubitatio vt de altero incidit.

Sed quid velit Andromachus quod dicat Buniadem dulcem, non facilè assequi possum, cùm apud alios nullam differentiam saporis in Napo reperiam. Et quinque istæ species, quas Plinius enumerat, potius differentiæ sunt Raporum, nam apparet eum illa omnia cõuertisse ex 7. libro Theophrasti de Historia Plantarum, quæ non de Napo, sed Rapo loquitur. Interq; illas quinque species Beoticum dulce est: quod tamen de hoc nõ intelligi posit, indicat ipsius radix, quæ breuis & rotunda est, non oblonga, quemadmodum Cleoneum. Napo autem longa radix attribuitur. Nisi dicamus Andromachum quoq; eiusdem cum Galeno fuisse opinionis, neque discrimen fecisse inter Napum & Rapum: in eaq; sententia quoque Plinium fuisse, qui propterea non curauerit Napum vocare, quem Theophrastus Rapum nominauerit. Quod fortasse non à vero erit alienum, cùm videamus alibi nusquam Bumadis mentionem

nem facere Theophrastum, vnde conijci potest sub nomine Gongylidis comprehendisse: & quia insuper Andromachus iunior in sua Theriaca (quæ in pondere excepto Pipere longo, eadem est cum Andromachi senioris) accipit semen Napi syluestris, quæ differentia quidem inest Rapo, nam syluestre & hortense reperitur, sed nō in Napo, quemadmodum ex Dioscoride manifestum est.

Scordium si ex Creta vel Ponto haberi posset, esset valdè bonum: attamen in alijs regionibus quoque illo non multò deterius crescit, modò eligatur id, quod in montibus non palustribus locis prouenit, & in regionibus siccioribus quemadmodū est Apulia. Colligatur autem quando floribus est refertum, & iam incipiat semen producere, estq́ue vniuersa planta in vsu præter radices & lignosam partem quandam illis proximam: quoq́ue magis Allium redoleat, eò melius est. Hæcq́ue herba vulgo nota est.

De Opobalsamo & Cinamomo in Trociscis Hedychrois satis multa diximus.

Agaricum, vt Galenus vult, & experientia docet, non admittit fucum. Hoc vnum itaque obseruandum est, vt seligatur illud

quod intus habeat venas rectas: sitq; leue, raræ contextionis, tenerum, friabile, album & splendens, quale est quod fœmina vocatur. Densum, ponderosum, lignosum, rotundum, durum & nigrum, non solùm laudabile non est, sed potius à Dioscoride inter venena in 6. libro recensetur. Quod medium est inter hæc duo, quantò pluribus notis vel ad hoc vel illud accedit, tantò maiores habebit vires. Dioscorides ait, quòd in Galatia, Asia & Cilicia in Cedris crescit, esse infirmum & friabile. Vnde videtur illum repræhendere friabile, quod tamen antea vt bonum elegimus. Itaque hæc vox friabilis rectè intelligi debet: vt scilicet Agaricum sit tenerum, non tamen eo modo, vt quasi aliquod marcidum per seipsum aut leuiter manum admouendo in multa frusta decedat. Debet ergo hoc modo compactum esse in seipso, vt digito, aut pistillo, aut lima facilè in puluerem reducatur: maiorq; illius pars constat ex pulpa, non neruis & venis, hoc enim durius & grauius: & insuper ne paucæ istæ venæ, quæ in medio illius apparent, non sint quoque flaccidæ vel friabiles, quia hanc ob causam quoq; Agaricus facilè diuellitur: & ita Dioscorides & Galenus intelligi debet.

Atque

Atque ideò non sine ratione ex sententia Galeni superius diximus in præparatione Theriacæ, Agaricum per se solum terendum esse, quo istæ venæ tanquam nullius vsus abijci posſint. At tametſi illi qui Agaricum propterea tundunt cum vino illum irrorãdo, ne subtiliores eius partes euanescant, non sint improbandi, nihilo tamen minus hallucinari mihi videntur, quòd postea simul accipiant partes quoque lignosas & inutiles, quæ hac terendi ratione non abijciuntur, sed ibi remanent vt bonæ. Nec satis est dicere quòd si accipiamus Agaricum fœminam, non adesse istas venas: nam etsi Galenus eligat fœminam, vult tamen in ea separari istas fibras. Imò si non adessent, Agaricum non esse probum, quemadmodum diximus eius probationis indicium esse. Ne verò deperdãtur particulæ subtiliſsimæ inter terendum, cauere id poſſumus eo modo quem Crito docet, de quo antea locuti sumus.

DE SIMPLICIBVS quartæ claßis, Pipere nigro, Thure, Dictamno, Rhapontico, Stœchade, Marrubio, Petroselino, Calamentho, Terebinthina, & Zingibere.

CAP. XXIII.

De Myrrha, Costo, Croco, Caßia, Nardo Indico, & Iunco odorato, abundè satis tractauimus suprà in Trociscis Hedychrois.



IPER nigrum, quod ab Actuario vocatur Piper commune, debet esse ponderosum, crassius, cortice subtili, non nimis crispum, plenum, non friabile, nigerrimum, & selectum ab illis granulis marcidis & leuibus, quæ in illo reperiũtur, quæ apud veteres Brasmi nominabantur, vt Dioscorides tradit. Nostro tempore inuenitur quasi perfectum, sine omni ruga, & facilè comparari potest.

Nitor

Nitor Thuris ab Andromacho accipit, quam dictionem perpendens Galenus, tãdem concludit potius esse Epithetũ aut ꝓprietatem aliquam, quàm speciem Medicamenti. Nam in duabus descriptionibus Theriacæ Andromachi patris & filij, nullũ discrimen apparet, nisi quòd 12. drachmæ Piperis longi in 6. drachmas Piperis nigri sint mutatæ:& in Theriaca Andromachi iunioris, Thus accipitur nulla facta mentione de Nitore. Sed quia Andromachus senior versib. describebat suam, voluit addere ad Thus, Nitorem: quod nihil aliud significat quàm Thus purum, syncerum, sine omni immunditiæ: notas nimirum perfecti Thuris. Quæ figura à Græcis vocatur ἓν διὰ δύο: cùm vna aliqua res per duo exprimitur: qua vtitur quoque Petrarcha in illo versu:

Vnde ruebant in maximum periculum viri & arma. Id est, armati viri.

Sic hoc loco Nitor Thuris idem est, ac si dixisset Thus nitidum: quod ita clarum est, vt non sit necesse pluribus de eo disputare.

Adulteratur Thus cum Resina Pini & Gummi. Quod tamen facilè dignoscitur, quia Gummi admotum igni non præbet flammam, & Resina statim in fumum dissipatur.

patur. Depræhenditur præterea fraus ipſo odore diuerſum aliquid redolente à Thure legitimo, pręſtantiſsimum eſt maſculum, quod natura rotundis granis concretum eſt: Tale eſt integrum, album, & ſi frangitur quaſi pingue: idque ex Arabia affertur. Quod verò ex India venit, rubeſcit, & aliquid liuidi coloris habet, atque arte quadam ita in rotunda grana formatum eſt: cognoſcitur autem ex colore, quia inueteraſcens planè rubeſcit.

Dictamnum ex Creta ante paucos annos ceptum eſt copiosè cum omnibus illis notis, quas Dioſcorides illi attribuit apportari: detecto errore iſto pharmacopęorum, qui eius loco ſumebant Dictamnum album vulgò dictum, quo vtimur intra corpus ad vermes necandos. Afferuntur autem ex vera planta tàm frõdes quàm folia. Nec nos moueat quòd Dioſcorides ſcribat, Dictamnum nec florem neq; ſemen producere: quia locus ille mendoſus eſt, vt nos probauimus 2. lib. noſtræ Methodi cap. 16. & cum Theophraſto diximus legendũ eſſe. Dictamnum quoad flores & ſemina in medicina non vſurpari. Quod nos admonet de hac planta, eſſe ſumendas frondes: & ſic pharmacopæi facere ſolent.

In Rha-

In Rhapõtico, cuius radix ſola in vſu eſt, ait Galenus quoq; fraudem cõmitti ſolere: Nam in locis illis vbi creſcit, quamprimum ex terra erutum fuerit, excoquunt ad extrahendum ſuccum, quo facto ſuccum quaſi ex Rhapontico ſine adiecta aqua per ſe extractum, & radicem ita coctam antea tanquam adhuc crudam & bonam vendunt: vnde opus eſt magno iudicio, quo natiuam à cocta diſcernere queamus. Quod facilè poteſt ab illo fieri, qui ſemel tantùm crudam diligenter contemplatus fuerit: cocta enim per totam ſubſtantiam magis rara, nec ita denſa & compacta eſt, & in guſtu non præbet tam validam aſtrictionem qualem habet cruda. Prætereà breui tempore ſolet foraminibus exedi. Idem de Rhabarbaro Meſues dicit: vnde nonnulli exiſtimarunt Rhaponticum Græcorum, & Rhabarbarum Arabum eſſe vnam eandemque plantam. Sed hic locus non eſt vt hanc controuerſiam diſcutiamus. Satis eſt ſcire, Rhaponticum legitimum ceptum eſſe afferri cum illis notis omnibus quæ Dioſcorides illi aſsignat, & differre à Rhabarbaro vſitato. An verò hæc differentia inde tantum oriatur, quòd diſtent ratione ſoli, & alioqui ſint eiuſdẽ generis,

aut

autquòd ſanè ſpecie ſint differentes, nunc tanquam nimis longam diſputationem omittamus. Neque opus eſt hîc de ſuccedaneo loqui, quandoquidem verũ ſine multo labore, qui modò velit, Venetijs inueſtigare poterimus. Quòd ſi eius loco Rhabarbarum etiam ſubſtitueretur, parum, meo quidem iudicio, aberraremus. Nam tametſi magis aluum ſoluat quàm Rhaponticum, non tamen in tanta copia hîc accipitur, vt hanc ſuam facultatem exerere poſsit, quemadmodum in Agarico quoque accidit. Hęc aliàs, ſecũdum Paulum & Auicennam, magnam inter ſe ſimilitudinem habent.

Optimum eſt non carioſum, & quod inter mandendum ſit mucilaginoſum, & leuiter aſtringens, colore pallido, aut propè accedat ad colorem Croci. Crudum Rhaponticum affertur radicibus oblongis, non adeò craſsis vt Rhabarbarum, ſed colorem fermè ſimilem obtinent. Vulgus pharmacopæorum pro Rhapontici radice accipiunt Centaurium maius Dioſcoridis: quod idem fit apud nonnullos, qui nimis pertinaciter Barbarorum ſententiæ inhærent Neapoli, ſed eò magis repræhendendi ſint, quò minus peritorum Medicorum hac in

parte

parte monitis obtemperare volunt.

Stœchas præferebatur alijs quæ proueniebat in Insulis Stœchadibus dictis Galliæ, vnde etiam nomẽ accepit: similiter & Cretica commendabatur, quãquam hanc magis quàm illam Gal.1.de Antid. libro probauerit. Nunc præstantissima habetur Arabica, vnde etiam consueuerunt Medici nostro tempore in suis compositionibus eam vocare semper Stœchadem Arabicam. Quare si hæc ex Arabia recens, odorata, subamarescens, & acris, quoad gustum haberi poterit, potius hanc quàm aliam vsurpare debemus. At si eiusmodi ad manus nõ sit, saltem aliam paribus conditionibus accipiamus. Vtimur autem Spicis ipsius, quãdo inter flores & semina maturescunt: itẽque frondibus & ramusculis tenerioribus, quemadmodum fieri solet in alijs omnib. fruticosis plantis. Est autem vbique cognita, & passim reperitur.

Marrubium apud Andromachum viride accipitur, quod ob quam causam factum fuerit, equidẽ non habeo dicere, cùm Galenus non meminerit viridis, & Dioscorides velit eius frondes siccas esse accipiendas vnà cum semine, aut succum è viridi collectum. Fortassis existimandum est, Androma-

dromachum viridis nomine recens, id est, non obſoletum, ſed ſtatim exiccatum voluiſſe intelligere: Quanquam hoc non adeò multum referat. Damocrates accipit ſuos verticillos, in quib. ſemẽ continetur. Sed ego quaſi ſecundũ regulã vniuerſalem acciperem de omnib. plantis fruticosis, totam herbam, quando ſemine eſt referta, abiectis radicib. & magis lignoſis partib., & cùm ſemen protulerit forſitan frondes paucæ aderunt, ſed maiore ex parte tantũ verticilli in circuitu caulis, ideoq; Damocrates voluit, illos tantum eſſe ſumendos, exiſtimans caulẽ vtpote lignoſum eſſe nullius vſus, quanq̃ ideò frondes nõ improbet.

Petroſelinũ cõmendabatur allatum ex Macedonia, quod à natiuo loco vocabatur Eſtreaticũ, & ſub hac appellatione ad omnia loca deferebatur, quanquam ex Epiro, in quo copioſiſs. creſcit, in Macedoniã apportantur, & inde tanquam Macedonicum & Eſtreaticum omnibus diſtribueretur, nam cùm exiguus locus eſſet in Macedonia, vbi colebatur, non poterat ſufficere omnibus alijs regionibus. Etſi autem vero Eſtreatico careamus, nihilo tamen Theriacam deteriorem fore exiſtimabimus, ſi alio vſi fuerimus: nam, vt Galenus
cap.

cap.14.lib.1.de Antidotis tradit, quanquam ad venena, & serpentum morsus Estreaticum sit efficacius, alterum tamen ad alios morbos non minus est vtile, vt ad ventriculi debilitatem, hydropem, tormina ventus, colicos dolores & similes alios, quos secundario quoque Theriaca promittit curare. Cùm insuper Estreaticum tam amarum & acre sit, vt etiam alia omnia simplicia Medicamenta Theriacæ superet, atque eam ob rem compositionem reddat nimis amarum & gustui ingratum: potissimùm si semen eius (quod quidem in vsu est) recens & non siccum imponatur: nam tametsi frondes & radices eandem habeant facultatem, sunt tamen nimis debiles.

At quid nam verum sit Petroselinū, hucusq; apud peritos simplicium fuit incertum: veruntamen ante paucos annos in multis hortis colere ceperunt quandā plātam, quæ multorū iudicio verū Petroselinū repræsentat, & Neapoli copiosè floret in horto, quem excoluit multis & varijs simplicibus refertum in monasterio S. Seuerini Vicentius Lucensis, & in fictilibus quoque Ferdinando Imperato prouenit, seminaque acceperat à Marco Enario

Enario pharmacopæo Veneto. Reperitur nunc etiam Patauij, Veronæ, Romæ, Venetijs, & in alijs locis. Et certè si consideremus diligenter omnes eius partes, nihil dubitationis nobis relinquitur, nisi quòd semen eius non adeò sit acre atque amarum, quẽadmodum Dioscorides vult, & Galenus quoque in commemorato loco scribit esse amarissimum & acerrimum: quod etsi ipse de Estreatico dixit, tamen & alia quoque quanquam non tam validè, acria & amara esse debent. Cumque hoc semen (quod iã pro vero habetur) ideò fortasse minus acris saporis sit, quòd alia culturæ ratio adhibita fuerit, non audeo tamen me opponere sententiæ tot doctorum virorum: atq; ideò vnà cum illis suadeo pharmacopæis, vt intereà ad Theriacam accipiant.

Non prætermittam etiam in medium afferre quandam meam opinionem, quam ante multos annos de Petroselino concepi: nam non existimaui eos errare, qui pro Petroselino vulgarem acciperent Saxifragam, habẽtem omnes eas notas, quas Dioscorides & Galenus Petroselino attribuunt: Nam folia sunt Petroselino similia, & nascitur in petris, vnde & nomen obtinuit, semen quoque conuenit cum semine Ammi veri,

mi veri, atq; insuper est amarissimum, acre & odoratum. Quanquam omnes plantas quas ego viderim montanis locis allatas Neapolin, depræhenderim in hisce duobus saporibus fuisse validiores, quoad radices quàm semina: tametsi in Macedonia contrarium accidat, cuius rei causa est, quòd ibi nunquam planè perfectum eius semen viderim, sed vt plurimùm cariosum. Vnde eorum imperfectio apparet, & fortasse in nostris regionibus ad summam perfectionem perueniri nequit, ideoque cùm semen hoc tam efficax non reperiatur, eius locò collocari poterunt illius radices, quæ secundum Galenum eiusdem sunt facultatis: quamuis semen ipsum si haberi posset, propter rationem in regulis substitutionis enumeratis esset melius. Accedit præter hasce notas & hoc, quod hodie Saxifraga in doloribus colicis exhibetur, itemque ad prouocandam vrinam & calculum frangendum, admodum feliciter, quemadmodum olim Petroselinum præbebatur.

Quod si aliquis exquisitius hæc discutere, & non pro vero Petroselino accipere vellet, saltem pro illo substituere posset, quoniam ex sapore conijcitur in 3. gradu esse calidum & siccum. Vnde quoque in a-

liam deueni coniecturam, Saxifragam nimirum eam quam vulgò propter odorem Hircinam vocamus, esse Dioscoridis Oreoselinum: semper enim prouenit in montibus & ipsa quoque inter saxa: in quibus ait Dioscorides, hoc crescere: quare nonnulli statuerũt esse Petroselinũ, quod tamẽ Diosc. repræhendit. Hæc Saxifraga semen profert ita simile Ammi semini, vt vix inter se discernantur, & nisi loco boni odoris Hircum oleret, posset hoc Petroselinum, & illud Oreoselinum appellari. Quod si hoc regioni in qua nascitur imputaretur (quod tamen ego non affirmauero) hæc opinio eò melius consistet, quamuis magis ad alteram inclinem. Hæc Saxifraga hircina, folia habet Apij, acris est & amara, & mirabilis in frangendo calculo & prouocanda vrina: quemadmodum multorum recentium experientia id testatur.

Nonnulla Collegia celebrium ciuitatũ pro Petroselino substituerunt Petroselinum vulgare, quemadmodum aliquando Bononiæ factum est; & ni fallor collegium Patauinum eiusdem fuit opinionis. Sed hic modus substituendi videtur qui in disputationem cadere. Nam sicuti Serapio sentit ex sententia Asclepiadum, Apium cali-

calidum & ſiccum eſt in ſecundo gradu, & Petroſelinum Galeni in tertio. At non conuenit ſubſtituere Medicamenta, quæ in primis qualitatibus non ſint eiuſdem gradus.

Calamenthum tametſi tres ſpecies habeat, nihilo minus indifferenter quæcunq; ex illis in promtu ſit, vſurpari poterit: ac propterea Dioſcorides confusè facultates omnium trium exponit, ſicuti Galenus quoq; facit: vnde contigit, quod Andromachus ſenior aſſumit Calamenthum, & Iunior retinens Latinam denominationem vocat Nepetam, nam nulla eſt inter hæc differentia, & quia paſsim Nepeta ſeſe offert, accipi debet collecta in locis ſiccis, & ſuo tempore, nimirum quando floret & ſemen incipit producere. In vſu eſt planta vniuerſa, excepta radice & lignoſo ſtipite, quæ abijciuntur.

Terebinthina vera Venetijs haberi poteſt, quo cepit iam afferri: nec, qui diligentiæ & ſumtibus, non parcunt, eam deſiderare amplius poſſunt. Quanquam ante annos paucos Epiſcopus Cataniensis Caracciolus, ex Sicilia quoque attulerit, vbi ipſemet de Terebinthis, quibus abundat ea inſula, collegit; quo nomine illi magnæ gratiæ

ſunt habendæ: nam hoc modo cõſuluit multis, ne ita ex longinquis regionibus illa ſola eſſet petenda. Cognoſcitur autem bona, (quæ vulgò, ad differentiam vſitatæ, paſſim Terebinthus & non Terebinthina vocatur,) ſapore & odore referente Terebinthum: quæ arbor apud nos multis in locis reperitur, inprimis verò circa Caſilinum, Montem viridem, & Mineruinum. Andromachus laudat Terebinthinam Africam vel Lybicam. Galeno verò magis placuit Chia, quia odore & ſapore alias omnes superabat. Nunc Sicula quoque inter poſtremas non eſt habenda.

Zingiber quidem notũ eſt, ſed quòd bonitatẽ ſummã præ ſe ferat, in exigua copia ad nos affertur: ſed eſt penitus carioſum, & infectum pallida vel rubra aliqua terra, qualis eſt Bolus Armenus falſus, quod non tam fit conſeruandi ſui cauſa (facilè enim propter humiditatem excrementitiam cariem & teredinem ſuſcipit,) quàm occultandi eius defectum, & obturandi illius foramina. Eligendum itaque eſt album, ſine carie, & quod ſapore & odore admodum ſit acre. Quod ſi ita perfectum haberi non queat, laudarem illud quod conditum ad nos affertur: modò certiſimus quòd viride

ſit col-

sit collectum, & statim Saccharo impositum, non quòd prius siccum & rursum coquendo emollitum fuerit, nam propter coctionem melior eius facultas in aqua remanet.

DE SIMPLICIBVS quintæ classis: Quinquefolio, Polio, Chamæpyti, Nardo Celtica, Styrace, Meo, & Chamædry.

CAP. XXIIII.



VINQVEFOLIVM vulgaris est notitiæ: neque fraudem admittit: nisi quòd fortasse aliquis peculiariter Tormentillam vsurpare pro eo velit, existimans verum esse Quinquefolium: cùm dubium non sit, vsitatum illud esse legitimum. Eligitur collectum in montibus aut collibus: & in vsu est radix eius in vmbra siccata: quanquam & folia quoque vtilia sint.

Polium montanum quoque ab omnibus cognoſcitur. In vſu ſunt Cimę cum frondibus, quando ſeminibus refertæ ſunt vnà cum floribus commiſtis. Neq; adulterari poteſt: de montibus tamen ſiccis & petroſis:& regione pariter ſicca & calida eſt colligendum. Amaro & acri ſapore & odore valido debet eſſe præditum.

Chamæpytis vulgò Iua, quoq; notiſſ. eſt: nec ſolicitè ex Creta eſt quærenda. Nam Galenus quoq; affirmat, eam quæ prope Romam creſcat, Cretica eſſe odoratiorem, & ſaporis validioris: hancq; omnes Medici ad Theriacam pro Cæſare parandam accipiebant: neque dubium eſt in alijs apud nos locis æque præſtantem atq; Romanam reperiri poſſe: modò non ſit de crebris & continuis pluuijs nimis madefacta. Nec diu eſt, quòd ego in Apulia eandem perfectiſſimi odoris & ſaporis collegerim: vnde eius maxima copia haberi poteſt. In vſu eſt planta vniuerſa, quando floruerit, abiectis radicibus & ſtipitibus durioribus.

Nardus Celtica iam aduehitur ad nos, quanquam à multis nondum cognoſcatur. Obſeruandum autem eſt tantùm radices & ſtipites accipiendas abiectis frondibus tanquam inutilibus, vt Dioſcorides docet,

docet. Præſtantius quoque eſt magis recens, odoratum, multis radicibus cohærens, fractu contumax, & plenum. Quod vt diutius aſſeruari poſsit, Dioſcoridis tempore ita præparabatur. Radices & caules contundebantur, & cum vino in paſtam redigebantur, vnde Trociſci facti in fictili recenti benè cooperto ſeruabantur. Hoc tamen non ſolùm hodie non obſeruatur, ſed etiam frondes & radices quæ magna ex parte ſunt fragiles & flaccidæ vnà accipiuntur. Et credibile eſt ideò in paſtillos fuiſſe redactum, vt vires ipſius, quæ alioqui facilè & celeriter exhalabant, diutius integræ ſeruarētur, ideoq́ue vinum addebant. At ſi recentes radices haberi poſſent, illæq́; ſtatim vſurparentur, non opus eſſet prius Trociſcos formari: His itaq; de cauſis magna diligentia, quam huc vſque non puto eſſe adhibitam, in hac planta colligenda opus eſſe videtur.

De Amomo diximus in Trociſcis Hedychrois.

Styrax qui communiter in vſu eſt, ſordibus planè eſt inuolutus, & in ſe bonitatis

parum retinet. Tempore enim Dioſc. furfuraceus Styrax pro malo habebatur: & noſtra ætate ſignum ex deteriore deſumentes, accipimus maſſam furfuraceam Styracis: quanquam ita puluerulentum olim quoq; facere ſolebant: nam cùm ruffus eſſet propter quædam, vt ſcribit Plinius, animalcula alata, in ſuperficie gummoſæ ipſius partis generabatur puluis aut aliquid furfuraceum: apparebat tamen magna ex parte eſſe gummi: cùm alterum planè ex furfuribus conſtet, & tantùm in interiore parte ſint exigua fruſtula gummi ipſius. Quare de iſta cruſta tantùm interior pars quæ verum eſt gummi vel lacryma accipienda eſt: idque colore pallido eſſe debet, eiuſmodi enim odoratius eſt & ſaporem validiſsimũ retinet. Taliſque olim in Cannarum calamis ex Pamphylia apportabatur, ideoque Styrax Calamites vocabatur: quanquam exigua eius copia reperiebatur: & quemadmodum Galenus dicit, à vulgari tantum differebat, quantum vinum Falernum ab altero quod in tabernis venditur.

Eligit Dioſcorides pinguem, flauum, & reſinoſum, quod granulis albicantibus, qui diu odoris bonitatem retineat præditum ſit, & inter emolliendum liquorem ſimilem

lem mellis fundat: atque talis fuit Catabalitis, Pisidiacus, & Cilicius. Vituperatur niger, furfuraceus, friabilis & situ obductus. Vidi equidem apud Ferdinandum Imperatum magna frusta Styracis, quæ procul dubio erant ex illius genere, quod etiam tempore Galeni & Dioscoridis in pauca copia reperiebatur: eratque pellucidum, Myrrham ferè repræsentans, vel gummi aliquod. Quod à quodam mercatore Aleppino dicto, Venetijs comparauerat. Et si alij quoque voluerint esse diligentes, fortasse in magnis saccis, qui Venetias aduehuntur pleni Styrace, talem etiam inuenient, priusquam cum scobib. ligni aut carie ipsius adulteretur, quam egregiam operam nauare solent in eiusmodi mercibus adulterandis illius loci Iudæi.

Meum, ex sententia plurium peritorum in simplicium cognitione, existimant eam plantam esse, quam Herbarij Calabrenses appellant Imperatricem: cuius copia in monte Calabriæ Polino prouenit. Radix nigricans est, numerosa, & subtilis, boni odoris, & sapore, vt ego quidem obseruaui, initio dulcis, deinde amaro, & in fine acri: Folia habet Anethi, & in summa, omnes notas à Diosc. illi asignatas. Vide-

tur mihi quidem eadem esse planta quam depingit Matthiolus, modò non sit malè repræsentata. Vtimur radicibus siccatis in vmbra, non marcidis, aut leuibus, nec cariosis, sed plenis, grauibus & odoratis.

Chamædrys vbiq; nota est, & reperitur in ijsdem locis in quibus diximus Chamepytin prouenire, quæ præstantior est magisq; odorata, & melioris saporis quàm Cretica: quare illum quoque nobis in nostris regionibus nascentem tanquam bonam comparabimus. In vsu est integra herba posteaquam flores emiserit, & semen affuerit, excepta radice, & cauliculis durioribus. Nascitur quoque in monte Gargano prope Neapolin, laudabilis & præstans. Nec nos impedire debet, quod dicit Andromachus, accipiendum esse semen Chamædryos: non ita more Poëtico locutus est: intelligit enim Chamædryn semine plenã, eo modo quo antea diximus. Quod Galenus explicando Andromachi descriptionem confirmat.

De Phu dictum est in Trociscis Hedychróis.

DE TER-

DE TERRA LEMnia, Chalcitide, Gentiana, Gummi, Hypocistide, Aniso, Seseli, Cardamomi & Fœniculo.

CAP. XXV.



EMNIA Terra, quam alij perperam Rubricam Lemniam vocant, vt docet Galenus 1. de Antidot. cap. 14. (Nam Rubrica Lemnia alia res est in Lemno prouenien, ad alios vsus idonea quàm est sigillum Lemnium,) putatur communiter esse ea, quæ in officinis vocatur Bolus Armenus orientalis: quod nomen illi à mercatoribus Venetis impositum fuit, itemque ab istis qui Venetias eum apportant: tametsi verus Bolus Armenus orientalis alia res sit. Hæcq; opinio approbata fuit ab omnib. simplicium peritis: cùm certũ sit, eam non ex Armenia, sed ex Insula Lemno afferri, de eodem planè loco, quem Galenus 9. lib. de simplicibus Medic. describit. Quodque verus Bolus Armenus

esse

esse nequeat, color etiam in causa est, qui nimis ruber est, cùm Bolus sit colore pallido: & elapsi sunt octo anni, quòd quidam Græcus satis magnam copiam attulerit Neapolin, vnde longo tempore officinas suas pharmacopæi instruxerunt. Quanquam suspicio quidam accesserit, de impostura eiusdem Medici Materatensis, qui multas cistas Materato ex regno Neapolitano Venetias aduexit, & asseuerans esse verum Bolum allatum ex Armenia, multis mercatoribus eum vendidit, qui postea in idem regnum rursum intulerunt: vtque omnia veritati magis essent consentanea, opera cuiusdam Græci ad eam rem adhibita curauit illum distrahi. Cùm nihil aliud reuera esset quàm Bolus qui reperitur prope Materatam: & iste locus postea mandato regio fuit occlusus. Quæ suspicio eò magis confirmatur quòd Bolus ille à Græco diuenditus alteri qui hodie Materatæ effoditur ita planè assimiletur, vt etiam exercitatissimi in hac parte inter vtrumque nullam differentiam reperire queant.

Sed relicto Bolo Armeno vero, loquentes de vulgari altero dicto Oriētali, constat eum ferè ab omnibus non solùm accipi pro succedaneo Terræ Lemniæ, sed etiam

pro

pro ipſa vera Terra Lemnia. Quanquam multi viri præſtantes in arte Medica aſſerant hunc vulgarem Bolum eſſe Rubricæ, & non Terram Lemniam: idq́; ſe ſcire aiunt ab hominibus fide dignis qui ipſum locum conſpexerint, & qui ſciunt quoque in quo loco ipſa Terra Lemnia colligatur, quæ olim nullo alio quàm Sacerdote tractabatur, & qui inſuper norunt vbi Rubrica effodiatur, quam dicunt eſſe illum rubrum Bolum Armenum, quem Orientalem vocamus. Quod ſi illis fides non adhibeatur, addunt aliud argumentum, quòd ſcilicet nemo auſus fuerit affirmare, experientia comprobatum eſſe, hunc Bolum, dictum Orientalem, ſanare eos qui à Serpentibus ſunt demorſi.

Nec ſatis eſt dicere, ex Lemno Inſula afferri, nam in ipſa tres differentiæ terrarum reperiebantur: prima erat præſtantiſſima, contra omnia venena remedium certum: altera Rubrica, quam vſurpabant fabri, & perhibent iſti eſſe Armenum Bolum Orientalem: de quo loquimur. Tertia eſt qua vtebantur ad pannos lauandos, quia abſtergendi vim habebat. Ex his poſtremę duæ in Medicamentis nullum vſum habebant, ideoque concludunt, Bolum vulgarem

rem Orientalem non solùm non esse Terram Lemniam, sed ipsius loco quoq; non esse accipiendum. At cùm in hoc Bolo depræhendatur nonnullus odor, & sapor aromaticus, multi, imò maior pars Doctorũ, non ita facilè istorum sententiæ assentiri voluerunt, sed potius existimarunt, eius vsum esse in Medicina idoneum, & quod re vera sit Terra Lemnia. Quod tamen nemo nisi qui proprijs oculis locum viderit, certò affirmare potest. Sed & nos cum maiore parte doctorum hominum ponamus hunc loco Terræ Lemniæ.

Non tamen silentio prætereundum est, quòd aliqui impostores, quo eum vendibiliorem reddant, imbuant prius instar pastæ cum aqua Aromatica, quæ in ea quantitate additur, quò fraus facilè occultetur cùm non sit verisimile, tantùm odorem & facultatem per se esse in ista terra: quæ interdum ex Cinamomo quoque illi conciliatur: quemadmodum vidi Romæ ante biennium, tale fructũ missum à Cardinale Granuellano ad Castilioneum Cardinalem, propter aduersam eius valetudinem, qui tamẽ paulò post obijt, cui itaq; hic Bolus suspectus esset, tutius substituere posset Terram istam albã, quę ex Malta affertur, quoniam sæpis-

sæpiſsimè non ſolùm à circulatoribus, ſed etiam Medicis experientia probatum eſt, eum mirificè contra venena ſerpentum & aliorum animalium valere: cùm propter eandem cauſam Terra Lemnia quoque aſſumatur.

Nec forſitan errabit qui eius loco verum Bolum Armenum acciperet, modò de legitimo eum haberi poſſe certi eſſemus: nam ſicuti ad peſtis malignam vim prodeſt, ſic etiam non abs re dici poſſet contra maligna alia venena quoq; omnia vtilia tē eſſe. Cuius tamen rei, cùm nondũ experientiam habeamus certam, ſecurius erit interea accipere fuit Melitenſem terram: in qua opinione, quoad vixit, Præceptor meus piæ memoriæ Lucas Ghinus.

De ſigillo ſiue Terra Sigillata vulgaris nõ dicam plura, cùm iam omnib. manifeſta ſit fraus q̃ cum illa cõmittitur, atq; vnuſquiſq; iam ſciat, nullo modo eam eſſe vſurpandã. Neq; etiam poſſum probare vſum Boli Materanenſis, nam tametſi propter ſuas qualitates manifeſtas, ꝓculdubio vtilis ſit, nimirũ in conſtringendo corpus, & in omnib. illis affectib., in quib. opus eſt exiccatione, aut facultate emplaſtica & aſtringente, non tamen certi ſumus quod in malignis morbis

ſit

ſit efficax: cùm hæc virtus ab ipſo climate proficiſcatur: nec poſsit ſuperficialis ſimilitudo in Materatenſi Bolo polliceri quoq; occultas & interiores proprietates.

De Malabathro dictum eſt in Hedychrois.

Sequitur Chalcitis, quæ quo modo ſit vrenda, ſuprà docuimus, quando de præparatione Theriacæ locuti ſumus. Iam dicamus ſolummodò, qua ratione eam inquirere poſsimus, nam parum illius, & raro Neapoli reperitur, quanquam Puteolis quoque reperiatur, ſed in pauca quantitate. Quod ſi quis diligenter Chalcanthum admodum vetuſtum nactus fuerit, is in eo inueniet efflorefcens Miſy, & Chalcitidem, quæ Chalcitis cognoſcitur, quòd colorem habeat æris, eumq́ue lucidum. Suntq́ue penes me multa fruſta Chalcanthi, quæ iam quaſi vniuerſa mutata ſunt in Chalcitin, itemq́ue alia in Miſy, de qua mutatione Galen. in multis locis diſſerit. Hæc Chalcitis, tametſi in ſe contineat adhuc reliquias aliquot Chalcanti, nondum omnino tranſmutati, nihilo minus accipi poteſt illa tota pars, quæ iam mutata eſt, relicta ea quę in medio integra remanſit. Præterea Venetijs

netijs de natiua Chalcitide & non transmutata haberi poterit, ab ijs qui amicitiam contrahunt cum peritis huius rei hominibus, qui illam à diuersis locis ad ipsorum vsum solent curare afferri.

Gentiana est notissima cuius radice vtimur, quæ debet esse plena, densa, non rugosa, & sapore amarissimo, quæ sit collecta in montibus, non in palustribus locis: Talis ab vnoquoque Herbario facilè haberi poterit.

Gummi illud quod in officinis vocatur Arabicum, est quædam miscella varij gummi ex pluribus arboribus collecti, quod ex coloris diuersitate apparet, atque etiam ex descriptione Galeni, qui absolutè Gummi vocat eam lacrymam quæ exit ab illis arboribus omnibus quæ sunt resiniferæ: Hocque manifestum est, & à max. parte peritorum rei herbariæ receptum, (nam pauci sunt qui vulgare Gummi Arabicum existiment esse Acaciæ gummi,) vt multis rationibus non indigeat. Hoc vnum consideratione dignum est, quod tametsi in omnibus alijs compositionibus Theriacæ, gummi simpliciter accipiatur, in ea tamen quam Aëtius describit, fit mentio gummi vermiculati: vnde videtur illum

voluisse intelligere Gummi Tragacanthæ: Hoc enim secundum Diosc. debet esse subtile, & apparet esse instar vermiculorũ illud quod communiter pro Tragacantha habetur, & vulgò dicitur quoq; Gummi Tragacantha. Sed hoc non multùm refert, quoniam Galenus 8. simpl. Medic. dicit, Tragacantham easdem habere cum Gummi vires. Potest quoq; ab Aëtio ista vox vermiculata addita esse per electionem Gummi simplicis, & non propter distinctionem quod Tragacantham voluerit intelligi.

Succus Hypocistidis ab vnoquoque pharmacopæo facilè acquiri potest: eiusque inprimis Neapoli magna est commoditas. Nascitur enim Hypocistis copiosissimè Puteolis in locis siccis, ad radices Cisti fœminæ initio æstatis. Modus verò extrahendi talis est: Hypocistis tunditur, & succus exprimitur, densaturque in vmbra, quemadmodum in Acacia fieri solet. Aut sicca & trita maceratur per biduum vel triduum in Aqua, deinde parum ebullit Aqua, quæ postea colatur, & fortiter exprimitur quod resedit. Rursum coquitur donec instar mellis aut paulò durius crassescat.

De Carpobalsamo egimus in Hedychrois.

Anisi semen vsurpatur siccum sed recens: plenum optimi odoris, sapore acri, & dulci, non furfurosum: præstantissimum crescit in Creta: Potest tamē commemoratis iam notis præditum aliud ex nostris accipi.

Seselis radices in vsu sunt & semen, secundum Dioscoridem. Nostra tamen ætates potius semen vsurpatur: quando ita simpliciter reperitur scriptum. Liberum autem est vnicuique sumere ex quacunq; specie quæ in promtu fuerit, excepto Cretico, quod etiam Tardylium vocatur: nam Massiliense, Aethiopicum & Peloponnense eiusdem sunt naturæ. Quique studiosè inuestigabit, is Massiliensis semen facilè habere potest: quare de eius succedaneo non est necesse loqui: cùm istud in multis Officinis legitimum reperiatur. Aëtius nominatim Massiliense accipit, addens, debere esse incorruptum.

Cardamomū arbitror apud Græcos esse siliquam quandā forma & magnitudine instar ficus, pediculo crassiore & duro, cortice anguloso & solido, interius semine nōnihil rotūdo, colore in superficie, inter rubescentē & fuscū medio, & albo in parte interiore,

acri gustu, cum nonnulla amaritudine,
suaui odore, & non ingrato sapore: cui se-
mina in membranis vnà cum medulla fun-
gosa & alba adhærente insunt. Cùm itaque
ex pluribus locis Galeni colligatur, Carda-
momum Folliculis vel Siliquis esse inclu-
sum, & huic iam à me descripto conueniant
omnes notæ à Diosc. allatæ, videtur mihi, re-
ctè nos asserere posse hoc esse verum Carda-
momum, & aliæ species esse Cardamomum
Arabum, cùm istud Græcorum Cardamo-
mum ab ipsis vocetur Cordumeni. Primi
quidem generis nullum vidi nisi duas aut
tres Siliquas apud Ferdinandum Impera-
tum, quæ illi reliquæ adhuc erant de alijs
quas ad Theriacam vsurpauerat: quæ satis
magnam similitudinem habent cum Ni-
gella, alio nomine Melegetta dicta, & de
alijs Grana paradisi: quæ non in folliculis
sed extra illos in granis afferuntur. Vnde
aliquis concludere posset, quòd illa sit se-
men huius Cardamomi. Qui tamen cau-
tius agere velit, studere debet, vt ipsas Sili-
quas, si fieri posit, cuiusmodi iam descri-
psimus, acquirat, modò copia earum ad
manus sit. In quarum tamen penuria è
duabus speciebus officinarum, (quas cre-
do esse Arabum Cardamomum, quemad-
modum

modum alibi prolixius demonstrauimus,) minus vocatum Cardamomum assumatur, quod alij granum Paradisi vocarunt (quanquam in officinis hoc nomen confuse & huic attribuatur, & Nigellæ, alio nomine Melegetta dictæ, quæ nos putamus semina esse, vt diximus, veri Cardamomi) quæ est Siliqua alba, nonnihil rotunda, & angulosa: in reliquis maiori similis. Sed quia acrius est & validius maiore, & inter gustandum aliquid amari quoque saporis depræhendatur, magis videtur conuenire quàm maius.

Fœniculi quasi omnes partes in vsum assumuntur, Attamē semen siccum & recens magis est efficax & vsitatius: de quo etiam ad Theriacam accipiatur. Hocque intellexit Galenus libro 7. de simplicibus Medicament. vbi constituit calidum in 3. gradu. Nam semen eius alijs omnibus partibus est acrius. Ac tametsi Andromachus senior in hac compositione id non explicet, Iunior tamen, & Damocrates, & Aëtius, in suis Theriacis hoc manifestè dicunt. Debet autem semen esse benè maturum, non furfurosum, granorum æqualium, odoratorum & in gustu acrium. Obseruandum quoque, ne accipiamus

cam speciem saporem quæ mistũ habet cũ aniso: vnde dicitur fœniculo anisum: sed alterum quod & ipsum seminatur, & vulgò vocant fœniculum amarum: quo etiam vtimur in multis condimentis.

DE ACACIA, THLAspi, Hyperico, Ammi: & disputatur an conducat Antidotos versibus describi.

CAP. XXVI.



CACIA, tametsi nondum ad nos afferatur, ideoq; non cognoscatur, videndum tamen est si ipsius succus aut semen gummi, quod sua sponte ex trunco suæ arboris resudat, ad Theriacam sit accipiendum: cùm enim hæc duo sint diuersa, quemadmodum ex Diosc. colligitur, aliud succedaneum pro succo, & aliud pro ipso gummi esset reponendum. Et quantum ex Andromachi patris descriptione

ptione conijcitur, videtur ipſum gummi eſſe ſumendum, quod ipſe aliter vocat lacrymam, in iſto verſu:

Atq; atram lacrymam Nili quam ſpina remittit.

Liquor enim eiuſmodi qui aut ſolus per ſe, aut per inciſionem arboris effluit, vocari iam lacryma ſolet, iam gummi. Quod etiam pariter ille qui verſibus Heroicis Theriacam conſcripſit, quam Galenus expoſuit, in fine lib. 1. de Antidotis, confirmauit, hoc modo:

Atq; Paratonium fudit quem ſpina liquorem.

In quo loco apparet illũ intelligere eum liquorem qui ſua ſponte ex ſpina Aegyptia exit, & nõ de ipſo ſucco, qui nõ per ſe effluit, ſed arte vel tritura, aut igne condenſatur. Ex altera parte videmus Damocratẽ in ſua Theriaca accipere ſuccum & nõ gummi ipſum. Statuimus tamẽ eſſe accipiendum ſuccum: nam varias magis & validiores facultates quàm gummi obtinet, vt patet vnicuiq; ex Dioſcoride. Nec veriſimile eſt voluiſſe Andromachũ ad tam celebrem compoſitionẽ eligere plantæ alicuius debiliorem partem, & relinquere potentiorem. Idq; confirmatur ex Andromachi filij compoſitione, qui Acaciam ſimpliciter ita nominatam adhibet: quod ſi fit, nec alia vox illi adiungitur,

ſemper de ſucco eſt intelligendum: quemadmodum ipſe quoque intellexit. Huic rei fidem facit Plinius lib. 24. cap. 12. ſcribens, Acaciam vocari ſuccum in paſtillos redactum: huc transferentes nomen arboris, vnde paratur: quanquam hoc in quibuſdam exemplis non legatur. Præterea ſuccus ſemper in vſu fuit, nec vnquam vel raro admodum gummi acceptum eſt: quod apparet in omnibus libris Galeni de compoſitionib. Medicament. ſecundum genera & loca: & nos in Commentarijs noſtris ad Dioſcorid. in Acacia notauimus. Quod cùm omnibus notiſsimũ ſit, non laborandum in hoc eſt vlterius: quanquam & aliæ rationes in medium afferri poſſent: Tantùm reſpondebo ad duas illas autoritates verſuum adductorum, qui videntur expreſsè accipere gummi. At quæ melior reſponſio, vt verum fatear, afferri poteſt, niſi quòd ratio carminis, aut, vt rectius dicam, gratia Poëtica Andromachum, & alterum quicunque fuerit, mouerint obſcurè exponere hanc rem, nominãdo lacrymam id quod verius ſuccus erat dicendum? Quæ licentia non ſolùm à Poëtis, ſed qui proſa quoque oratione ſcripſerunt, videtur eſſe vſurpata, & peculiariter à Dioſcoride nomi-

nominando ſuccum, quæ erat lacryma, & contrà lacrymam qui erat ſuccus: ſicuti nos ex multis locis in libro 1. noſtræ Methodi, cap.7. demonſtrauimus. At certè in compoſitionibus magni momenti non conuenit talibus dubijs implicari: ideóque quanquam commoditatem ex eo genere ſcribendi quod verſibus conſtat, ſecundum Galenum iſtam recipiamus, quod non facilè mendis deprauari poſſint, ſicuti fit in proſa oratione, potiſsimùm quò ad pondera, tamen contrà incommoditas hæc illis ineſt, quòd propter ſtylum Poëticū multæ res tam obſcurè ſæpe exponantur, vt ſæpenumero Oedypo ad diuinandum opus ſit, & interdum dubium prorſus quem dimittant inprimis ſi allegoricè vel per metaphoras (vt Poëtis eſt peculiare) loquuntur. Quod in ipſa Theriaca in multis rebus apparet: interq́ue alia in Ariſtolochia, quæ cùm eligenda ſit ſarmentoſa aut ſubtilis, nihilominus Andromachus ſimpliciter nominat: quare potius de altera quauis ſpecie quàm de illa intelligi ſolet: & ſicuti alibi à me demonſtratum eſt, videretur rotunda eſſe ſemper accipienda, quia non flectitur: ideóque qui non conſideraret alias compoſi-

tiones Theriacæ, facilè decipi possetin accipienda rotunda, cùm tamen sarmentosa sit accipienda. Idem apparet in Centaurio, quod simpliciter ita nominat Andromachus (quemadmodum ipsemet Galenus notauit) cùm addi debuisset, minus, sic idem dicit, eum obscurè locutum esse de Melle Cecropio, cùm clarius Atticum dicere potuisset. Obscurisima verò est illa descriptio Acaciæ, quam indicauit dicendo lacrymam, quam fundit spina Nili, & alibi, spinam quæ fundit liquorem Paratonium: qui locus est in Aegypto.

Sed reuertentes ad rem ipsam, concludamus quòd succus Acaciæ sit recipiendus in Theriacam, qui cùm non afferatur, necesse est vt aliud quippiam pro illo substituamus. Bononienses loco illius posuerunt succum Rhoïs, aut Sumach, Quod etiam mihi plurimum probatur, cùm Diosc. dicat, eandem vim cum Acacia habere Sumach, & Galenus vtriq; asignet tertium gradum siccitatis, & secundum frigiditatis. Alij sumunt Lentisci succum: at cùm ille sit in primis qualitatibus æqualis temperiei cum illa, sed in siccitate minus efficax, alter erit illi præferendus: quoniam eiusmodi simplicia Medicamenta & similia, non propter aliquam

aliquam actionem occultam, vel aliam præcipuam facultatem in Theriacam accipiuntur, sed ob ipsorum manifestam astrictionem & refrigerationem: & tametsi parum inter sese distent, notabilem tamen mutationem propterea Theriacæ non introducunt: ideoq; visum mihi est, cum Dioscoride pro succedaneo Acaciæ vsurpare succum Rhois: quanquam Gal. Acaciæ lotæ frigiditatis secundum gradum, quemadmodum & Rhoi, sed non lotæ, attribuat, quod quidem nonnullam affert varietatem: quia Acacia sine lotione in Theriacam assumitur, & ita non erit vltra primum gradum frigida. Poterimus tamen donec melius quippiam inueniatur, hoc esse contenti: nisi si quis succum prunorum syluestrium, quæ est Acacia vulgaris, vsurpare velit: quod quidem non adeò improbo.

Thlaspi semen est in vsu: cuius tempore Galeni ex Creta quædam species formæ rotundæ, colore inter rubescentem & flauum medio, minor quàm est milium, afferebatur. Quod tamen passim etiam crescebat, & arbitror esse illud ipsum quod hodie ab omnibus pharmacopæis accipitur, quoniam omnes

eiusmodi

eiuſmodi notas habet. Sed Galenus multò magis laudat illud quod colore nigricante ex Cappadocia habebatur, & non ita rotundum erat ſicuti prius: præcipuè quod in monte Tauro naſcebatur: non parum diſsimile à Cretico, quod vbiq; proueniebat: & ex alijs Cappadociæ partibus quoque afferebatur. Sed iſtud ex monte Tauro erat grandius, & ex vno latere habebat neſcio quid compreſsi, vnde etiam nomen Thlaſpi obtinuit: & eiuſmodi Thlaſpi (qui diligentiam adhibent) in regno Neapolitano quoque haberi poteſt: & ego ex monte Polino Calabriæ, atque etiam ex montibus in eo latere quod Amaſi vocatur, accepi, cum omnibus notis quas illi Galenus attribuit, quod initio mihi à Luca Ghino feliciſsimæ memoriæ, dum Bononiæ eſſet, fuit tranſmiſſum. Sapore eſt amaro, & acerrimo, & cum terræ mandatur, facilè prouenit: quanquam non ita ſit validum quemadmodum quod ſua ſponte in montibus naſcitur.

De Hyperico, quod vulgò vocant perforatam, ſecundum Galeni ſententiam cap. 15. lib. 1. de Antidotis, accipiendum eſt ſemen vnà cum virgultis, folijs & floribus: quod idem dicit 8. de ſimplicibus Medicamentis.

camentis. Hæc herba ab omnibus cognoſcitur & paſsim obuia eſt : & electio tantùm conſiſtit in ætate, de qua diximus anteà.

Ammi paucis cognitum eſt: nec diu eſt quod Venetijs primùm ceptum eſt afferri. Antea propter ſimilitudinem saporis cum Origano aliud minutiſsimum ſemen accipiebatur odoratum & acre, cuius magna copia vndique in Apulia creſcit, eſtque ea planta quam doctiſsimus Andræas Matthiolus in ſuis primis libris depinxit, quanquam ipſemet non habeat pro vero Ammi: quemadmodum etiam non eſt. Sed legitimum admodum ſimile eſt ſemini Saxifragæ Hircinæ dictæ, & Cimino quoque: quanquam ſatis ſit minus. Odoratum eſt & ſapore tam proximè ad Origanum accedit, vt vix ab eo diſcerni poſsit. Hocque ad Theriacam, non aliud accipiendum eſt.

DE SIM-

DE SIMPLICIBVS *sextæ claßis, Sagapeno, Castoreo, Aristolochia, & Bitumine.*

CAP. XXVII.



X Sagapeno, vulgò Serapino, in vſu eſt ſuccus, qui ita vocatur ex planta eiuſdem nominis vnde colligitur. Tametſi, vt Galenus notat, conuenientius eſſet illud nominare ſuccum Sagapeni, & nomen ſimplex Sagapeni relinquere ferulæ ſuæ: ſed hoc alijs multis quoque ſuccis accidit, qui ſibi vendicarunt ſimplex nomen ipſorum plantæ. Verum Sagapenum Neapolin apportatur, modò qui curet emi non parcat ſumtibus, nam admodum crebrò adulteratum affertur. Qui etiam diligenter inquiret, Venetijs habere poterit. Adulterabatur autem Galeni quoque tempore Galbano: quemadmodum ipſe tradit,

dit, cap. 11. libro 1. de Antidotis. Imò dicit aliud prætereà, quod admiratione dignum, eſt, Galbanum nimirum in Sagapenum tranſmutari. Sed facilè internoſcitur à vero Sagapeno, cùm, ſiue ſit tranſmutatum, ſeu adulteratum arte, aliquid odoris retineat olentis hircum, quod Galbano proprium eſt. Nec poteſt vniuerſum Galbanum transformari in Sagapenum: ſed tantùm pars eius magis ſpumoſa, leuior, & candidior, & quæ in aquam poſita facilè diſſoluatur. Hoc, vti diximus, odorem hirci refert, & tametſi pro Sagapeno vſurparetur, non adeò multum noceret, in quamcunque Antidotum adhiberetur: nam, vt Galenus ait, facultate ſimili admodum prædita eſt cum vero: & tam Galbanum quàm Sagapenum vtiliter vſurpatur contra morſus ſerpentum & alia venena: Noſque de ſimili tranſmutatione locuti ſumus in expoſitione Myrrhæ. Sed etiam cum alijs miſtionibus ſolebat adulterari, quod depræhendebatur ex eo, quia in Aquam vel Vinum poſita non diſſoluebatur, ſicuti in vero fit, ſed integrum permanebat. Hoc equidem noſtro tempore diligenter eſt attendendum; nam tum ſumebant

Galba-

Galbanum, & formabant ex eo certas pillulas instar lacrymæ, cuius magnitudinis solebant esse illos ex Sagapeno. Præstantius itaq; Sagapenum erit durum, granulis minutis, colore Myrrhæ, sapore acri, & quod digitis adhæreat, purum & mundum, foris fuluo, intus albo colore.

Castoreum rarò & difficulter verum reperitur: quod non sit adulteratum: Nã quod affertur, quanquam odorem retineat, attamen ex alijs partibus neq; tantùm ex testibus constat: aliqui dicunt ex renibus, nonnulli ex sanguine, alij ex alia corporis parte: vtq; maiorem similitudinem cum vero seruet, & legitimo, quod colorem ceræ repræsentat, addunt gummi aut Ammoniacum: sicuti quoque Dioscoridis tempore facere solebant: commiscentes gummi priora & aliquid ipsius sanguinis cum exigua quantitate boni & perfecti Castorei, sed necesse est nos esse hac in parte cautos. Quod facilè illi consequentur, qui verum semel diligenter inspexerint, aut saltem obseruarint notas illas quas Dioscorides plenius illi ascribunt, inter quas potior illa est, quod oriantur ab vno eodemq; principio, quare si geminũ erit principiũ & origo diuersa, statim suspicio oritur, ne sint illius animalis re-

nes in

nes in vesicas inuoluti: quod etiã ex magnitudine eorum apparet: nam testiculi sunt, vt Plinius tradit, multò minores. Quòd si non ita grandes essent, & tamen principium esset diuisum, erunt & ipsi ita concinnati: sed cum Gũmi vel Ammoniaco & sanguine, vt anteà diximus: non enim fieri potest, vt duæ vesicæ reperiantur, vnica tunica inclusæ, & prætereà nullum animal reperitur, quod istius figuræ haberet testiculos.

Legitimi Castorei liquor est resinosus, graui & ingrati odoris, validi & mordacis saporis, fragilis, & circumdatus pluribus tunicis natiuis. Fugiendum est nigrum & rancidum: nam, (si verum est quod Auicẽna scripsit) hoc spacio vnius diei, eum, qui intra corpus sumsit, interficit. Nonnulli perhibuerunt, genuinum tam acuti esse odoris, vt vna tantùm vice naribus appositũ sanguinem eliciat: Dioscorides verò sternutationem ciere dicit: quod etiam signũ est eius vehementiæ, quemadmodum patet in Helleboro albo, dum contunditur. Nec mirari debemus, inter tam multa alia Medicamenta hoc vnicum, quod Opij frigiditatem summam retunderet, fuisse selectum: nam præter id quòd calidam habeat facultatem, partium quoque est subtilium,

vt forsitan magis quàm alia omnia Medicamenta penetret, & Opio in æquali efficacitate opponatur: Quòd si illi alia quædã calida & aperiens res adderetur, vt est Crocum, Piper, aut simile quippiam, tantũ adiuuaret penetrationem, & dilataret vias Opio, at non ita validum esset, vt Opij vires euidenter frangeret: quod tamen vtrunq; Castoreum potenter præstat: quanquã magis propter alteram causam, vt nimirũ refrenet suã malignitatẽ illi addatur: ne aliàs (quod nonnulli faciunt) Opiũ necesse sit leuiter comburi, vt eius vis nonnihil minuatur. Quod tamẽ etiam Gal. lib. 3. de comp. Medic. secundum loca repræhendit cap. 1. vbi examinat Apollonij compositionem ad dolores aurium. Cùm itaque Castoreum tanti momenti sit, nec reperiatur aliud quippiam quod illi substitui possit, curandum vt optimum & maximè genuinũ habeatur, ne ipsius respectu Antidotus non assequatur suam perfectionem.

Andromachus Aristolochiã accipit, sed non definit vtrã ex trib. intellexerit: idque propter necessitatẽ versuũ: vt in Acacia quoque diximus. Sed Gal. illũ interpretans, ait tenuem esse assumendum, perq; eam intelligit sarmentosam, quæ radices habet magis

gis subtiles q̃ longa & genicula quædã, qualia in Sarmentio vitium apparent, atq; etiam ita longa est, vt inde nomen quoq; acceperit. Hæc ex Sicilia mihi allata est odore validissimo: & plurimi pro longa Aristolochia habuerunt, quoniam legitimã longã nõ viderũt, quę ni fallor, in Hetruria & pluribus alijs locis crescit, & existimatur esse longa cùm sit tenuis: nam longa radicem habet ramosam cum quibusdam appendicibus similibus illis, quæ ad radices Asphodeli reperiuntur, & illa est crassior multo, cuius satis elegantem habeo picturam expressam ab ea quæ crescit in Apulia, vbi plurima prouenit, cùm Sarmentosæ quoque magna copia haberi possit in regno Neapolitano ex multis locis; itemque de herbarijs qui illam circumferunt. Abundè verò prouenit Serræ Capriolæ in ditione Illustrissimi Principis Cæsaris Gonzage, vbi in vineis ita copiosa est, vt quamuis diligenter eradicetur, ne vites suffocet, non tamen omninò extirpari possit. Vidi etiã circa Molfetã, in angusto quodam loco, quod oppidũ eidẽ Domino paret, sitũ in littore Adriatici maris. Eadẽ ex Sicilia opera amicorũ, vbi sub nomine longæ Aristolochiæ quoq; vsurpatur: (nam in cæteris partibus,

id est, quoad folia, flores, caules & semina,
reliquis duabus similis est,) vel ex Hetruria
aut alijs locis haberi poterit. Damocrates
eligit Aristolochiam subtilem, & benè sic-
cam, ac pariter Andromachus filius, decla-
rantes id quod Andromachus pater obscu-
rius dixerat.

Bitumen Iudaicum alijs omnibus præ-
fertur: colligiturque in mari mortuo: quod
Galeni tempore adulterari non poterat,
sicuti 1. lib. de Antid. scribit: forsitan quia in
tāta copia afferrebatur, & propter splēdo-
rem ipsius ita erat notum, vt quicquid illi
commistum fuisset, facilè illius viuidum
quamuis nigrum colorem immutare po-
tuissent: ideoque cùm Dioscorides quòd
Pice solebat adulterari, dicat, hos duos Au-
tores manifestè inter se discrepare videbi-
tur, nisi eo pacto quo diximus, eos intelle-
xerimus. Imò relicto Galeno hac in parte
potius Dioscoridi erit adhærendum. Cùm
videamus nostro quoque tempore ita a-
dulterari, vt admodum parum boni & legi-
timi aduehatur: idque ex eo patet, quòd nō
colore illo splendido instar purpuræ, sicuti
vult Dioscorides, sed potius nimium ni-
gro, & quasi emortuo præditum sit. Anim-
aduertendum autem est, quando Diosco-

rides

rides istud laudat quod splendet instar purpuræ, non accipiendum esse quasi Bitumen esset purpureum: sed quòd tantum habeat illam viuacitatem coloris, & quod ita splēdeat quemadmodum purpura: Nam purpureum propriè significat illam gratiam & viuacitatem, quæ in vnoquoque colore qui gratus est oculis & delectat visum, inesse potest, & vulgò nunc Chremesinus color vocatur. Quæ vox non vni tantùm colori destinata est, sed multis, aut fortasse omnibus. Habemus enim nos Chremesinum rubrum, purpureum, quod Pauonazzo vulgò vocant, & incarnatum: & non diu est ꝙ Chremesinum etiam albo, & viridi colori sit attributum tàm in pannis quàm serico ipso: & si modum repererent, etiam alijs coloribus poterit adiungi hoc vocabulū, vt dicatur, luteum Chremesinum, nigrum Chremesinum. Et sic possumus dicere Purpureum rubrum, Purpureum russum, siue (vt vulgò vocant) incarnatum, Purpureum phœnicium, & Purpureum nigrum, nimirum si istis coloribus concilietur ille splendor gratus oculis: quem hac voce exprimere voluerunt. Vnde Horatius Cygnos vocat purpureos: nam præter istam albedinē, accedit illa splendoris venustas, qua simul

oculos & animam oblectant: & ab alijs nix purpurea vocatur, & Virgilius dicit crines purpureos; item Cicero in suis Academicis quæstionibus ait: Mare esse Cæruleum: sed quando aqua remis agitetur, fieri purpuream: cuius rei in promtu ratio est: quia Aqua commota ex illa parte luminis aliquid, quo antea carebat, recipit: & ita illuminata hoc nomen sortitur. Non tamen est negandum, vt plurimum hoc nomen purpuræ attribui rubro, & pauonacco, vt Itali loquũtur, quia hi duo colores tàm arte quàm natura expressi obtinent illam gratiam. Hocque nonnihil à proposito diuertentes pluribus exponere volui, ne dubius lector remaneret, quo modo Bitumen vocaretur purpureum, & fortassè conijceret esse violaceum aut rubrum, ideoque Pice nigra adulterari non posse. Redeuntes itaque ad Bitumen, videmus communiter non reperiri laudabile: qui tamen diligens fuerit, Venetijs quod Dioscoridis descriptioni planè conuenit, comparare poterit.

DE DAVCO, OPOPANACE, CENTAUREO, & Galbano.

CAP. XXVIII.



AVCVS non eſt paſtinaca ſylueſtris, quemadmodum vulgus pharmacopæorũ & Medicorum exiſtimat, & decepti fuerunt eò, quod Galen. dicit Daucum à nonnullis vocatum eſſe paſtinacam, non. n. propterea reipſa eſt paſtinaca, quãuis à quibuſdã ita fuerit vocatus, idque cõfirmatur ex eo, quod Dioſc. & Gal. ſeorſim de vtraq; herba loquantur: imò Dauci tres ſpecies Dioſc. cõſtituit, cum paſtinacæ ſylueſtris tantũ vna reperiatur: Abijciendũ itaq; ſemẽ eſt paſtinacæ ſylueſtris, q̃ paſsim Neapoli creſcit, & tantum laboris ſubeundum, vt Venetijs aut alijs ex locis verum ſemen Dauci conquiratur, quod ſæpius habui communicatum mihi à Luca Ghino, puſillum, album, hirſutum, acri ſapore, & inter mandendum ſuauiſsimi odoris. Semen eius in vſu eſt, quanquam ſecundum Dioſc. radix Cretici quoque Dauci accipiebatur.

Opopanax aduehitur ad nos, & in officinis vbique habetur. Panaces quoq; planta, vnde hic succus exprimitur, nota est, & in multis locis regni Neapolitani reperitur, quanquam ibi succus non inde colligatur: & tametsi tres sint huius nominis plãtæ, ea tamen Opopanacem præbet, quæ cognominatur Herculea. Mesues vbi de Opopanace loquitur descriptionem plantæ cõfundit, partim Herculei Panacis, partim Asclepij notas adducens, nisi dicamus textum esse mendosum, in eo loco, vbi ait Mesue, plãtam vnde colligitur Opopanax, folia habere Ferulæ sed minora. Quod admonendum duxi, ne diuersitas inter Dioscoridem & Mesuem aliquem dubium reddat. Opopanax tempore Dioscoridis adulterabatur Ammoniaco aut Cera. Quod an nunc etiam fieri soleat necne, haud scio, cùm adulteratum ipsum sæpius quoq; apportetur. Sed bonum cognoscitur ex colore interno albo aut rubescente, & exterius croceo: sit leue, pingue, friabile, & tenerum: graui odore, & gustu amarissimum, & quod in aqua facilè dissoluatur. Improbatur nigrum, & molle, & vt fraus deprehendatur, digitis in aqua emolliendum erit, quod si syncerum est, non tantùm dissol-

uitur,

uitur, ſed lacteum colorem inſuper emittit.

Centaurium hic minus eſt accipiẽdum: quod Andromachus quemadmodũ Galenus notauit, reſpectu verſus non addidit. Herba eſt notiſsimũ, & accipiuntur, vt Galenus tradit flores, frondes, & cimæ caulium ſimul, idque ſtatim quando florere cepit. Radix eſt nullius vſus. Notandum tamen quòd in freto Neapolitano quædam alia herba naſcatur, quæ ita penitus Centaurium minus refert, vt qui nõ diligenter diſtinguat, facilè decipiatur, immò multi pharmacopæi loco Centaurei vſurpant. Differunt tamẽ in eo, quòd in vero ſit caulis quadrangularis, in altero rotundus, & ſicuti verum eſt amariſsimum, atque eam ob cauſam Fel Terræ vocatur, ita in altero nihil planè apparet amaritudinis.

Galbanum vbique cognoſcitur: quanquam raròlaudabile ſe offerat; ſed ferè eiuſmodi quod omni lignorum & lapillorũ immundicię plenum eſt, & alijs quoq; reb; immũdum: quòd inprimis eius odore, qui non adeò eſt grauis & ingratus, proditur. Sed & hoc Venetijs ſelectum conquiri poteſt: optimum autem eſt granulis refertũ, vt alij omnes interpretes verterunt, exce-

pto Ruellio, qui Plinium imitatus Cartilaginosum interpretatus est. Sed quoniam Dioscorides addit, simili esse debere Thuri, quod ipse quoque Plinius adiungit, aut Ammoniaco, videtur potius, granorũ instar, legendum esse. Nam quo pacto potest esse Galbanum Cartilaginosum, & præterea simile Thuri & Ammoniaco? Accipiamus itaque instar granorum, syncerum, & simile Thuri aut Ammoniaco (quod in lacrymis rotundis affertur) pingue, non lignosum, quod in se retineat nonnihil ex suis seminibus, & ipsis ferulæ sarmẽtis, grauis & ingrati odoris, non nimis humidum aut siccum, & sapore, vt alij adiungunt, tetro & ingrato. Hoc Dioscoridis tempore adulterabatur Faba fresa, Resina & Ammoniaco. Itaque Galbanum ab omnibus sordibus tàm natiuum, quàm arte factum purgari debet, si modò hoc postremum coacti fuerimus assumere, quod tamen neutiquã probo. Modus depurandi talis est: Galbanum in linteo mũdo & raro suspenditur in vase aliquo fictili, aut æneo, ne tamen fundum contingat: & posteà vas benè coopertum in aquam feruẽtem collocatur, & hoc modo syncerum liquefactum extillabit, & lignosum in ipso linteo remanebit. Hoc

Gale-

Galenus tradidit 3. libro de Medicamentis, secundum genera, cap. 5. vbi dicit Galbanũ in duplici vase esse liquefaciendum, quod vulgo vocamus Balneum Mariæ. Vnde etiam aliud signum minimè fallax colligitur, vt verum dignoscamus: nam Galbanum in nullo liquore frigido, siue aqua, siue vinum aut acetum fuerit, quemadmodum maior pars succorum facit, atq; potissimum Ammoniacum, Sagapenũ, Opopanax, & Myrrha dissoluitur; sed semper indiget ignis opera, vt Propolis quoque, Ladanum, Cera, & Resina. Hancque ob causam suprà diximus, Galbanum liquefieri debere in Balneo vnà cum Styrace & Terebinthina, quæ exempli causa tum quasi in vas aliquod cæruleum collocauimus: seorsim in vino resoluentes Myrrham, succum Hypocistidis, Glycyrrhizam, Sagapenum, Opopanacem & Opium, quibus vas nigrum assignauimus. Ideoque Medici & pharmacopæi diligenter obseruent, ne succum vnum pro altero accipiant.

DE

DE VINO QVOD ad Theriacam adhibetur.

CAP. XXIX.

DIXIMVS de omnibus simplicibus Medicamentis, restat vt de Vino, & Melle quoque aliquid addamus. Andromachus senior iubet accipi vinũ vetus, sed quale id sit non explicat. At iunior Andromachus eligit vinum Phalernum, quemadmodum etiam Damocrates, & alter qui heroicis versibus Theriacam descripsit. Hocque factum est, non quòd eiusmodi genus vini in se tale aliquid contineat, quod in alijs reperiri nequeat, sed quòd omnes boni vini complectantur conditiones, quæ si in alio quoque genere reperiantur, illud pariter accipi potest: cùm præsertim Phalernum non vbique locorum in promtu sit: inprimis nostris temporibus, quibus difficulter sciri potest, an adhuc illud extet nec ne. Sufficit itaque tale accipere quod Phalerno simile sit, id est, validissimum

simum & potentisſimum, & quod per multos annos duret integrum. Atque tale eam ob cauſam ad Antidotos eligebatur, quia vt per ſe non peribat, ita in iſtis compoſitionibus quoque permanebat integrum: ideoque Theriacæ quoque non mutabatur natura, neque ſapor: nam ſi ſpacio temporis vinum fieret acidum, aut amarum, aut alterius ſaporis, tali ſapore quoque Theriacam imbueret, & hac occaſione Medicamenta alia quoque facilè corrumperentur. Qualia vina ſunt tenuia, &, vt Galenus nominat, aquoſa, quæ breui tempore veteraſcunt, id eſt, ante tempus notas veteris vini accipiunt: quarum prima eſt acrimonia, deinde progreſſu temporis amaritudo: nā tenuia vina, modò non prius aceſcant, ſi tertium vel quartum annum attigerint, fiunt acida & amara: quare ad Theriacam nō ſunt idonea. Cùm ſæpe vſque ad triceſimū vel forſitan etiam ſexageſimum annum illam ſeruare cogitemus: & iſta cum tenui vino parata tantùm ſpacio trium vel quatuor annorum nobis vſui eſſe queat.

Aſſumatur itaque vinum non ſolùm validiſsimum, ſed etiam quod longa experientia obſeruauimus, ſuum retineat primum ſaporem: quam ob cauſam non laudandum

dandum vinum Græcum à Neapolitanis vo-
catum, potissimũ de Monte Vesuuio, nam
quanquam potentissimum est, tamen cùm
ad octauum annum peruenerit amarescit,
quemadmodũ in eo quod in arce S. Hermi
asseruatur, sæpius deprahendi. Præterea est
fumosum, & facile petit caput, idque va-
poribus implet, & grauedinem affert: quod
Galenus plurimum repræhendit, & monet
nequaquam eiusmodi vinum esse acci-
piendum ad Theriacam, sed potius ad
emplastra. Reperiuntur quoq; vina admo-
dum valida, sapore austero & astringente:
quæ longo tempore durant, & nihilo ta-
men minus post decimum vel duodecimũ
annum ob leuissimã aliquã occasionem in
acetum mutantur, aut progressu temporis
plane veterascunt: quę pariter sunt fugien-
da in Theriaca: nam vinum requirit quod
diu in sua natura integrum persistat. Gale-
nus laudat Surrentinum, non vsq; ad an-
num 20. crudum vocare licet, & eo anno
in suo vigore consistebat, estque aptissi-
mum vt longissimo tempore asseruetur,
nec amarescit, quare phalerno hac in par-
te non cedit. Sed nostris temporibus à
paucis vinum vltra quartum vel quintum
annum reponitur, imò quotannis fermè
reno-

renouatur, & de priore vix per aliquot menses in altero anno retinetur. Quare iudicare de aliquo vino an triginta vel quadraginta annos perduret, nec ne, difficulter possumus, excepto quodam Græco quod in locis nonnullis munitis asseruatur: quod tamen ipsum quoque duodecimum vel decimum quintum annum vix attingit.

Cùm autem Græci antea quàm fama de phalerno apud ipsos increbuerat, idonea quædam vina ad Antidotos selegerint, videamus an nos eiusmodi aliquod vel saltem illi simile habere posimus. Inquirebāt itaq; in Asia vinum quoddam colore aureo, (nam nigrum, aut rubescens, aut album semper in minore fuit precio) præterea quoad essentiam eius debet esse subtile, clarum, pellucidum, non crassum aut turbidum, odore aromatico & grato, sapore non austero neque amaro, sed quod aliquid dulcedinis habeat. Aetate quantum fieri potest sit vetus, modò non incipiat amarum vel acre fieri: potentia validisimum, sed non fumosum, aut quod facile caput petat. Huius generis repertum est à nobis triplex vinū in Græcia Primum est Chium; quod Andromachus

in suam

in suam Theriacam, quam describit Galen. initio secundi libri de Antid. assumsit. Alterum est Aruisium, de loco eiusdem nominis ita appellatum. Tertium Lesbium, addebatur his & aliud quoddam ex monte Tmolo Ciliciæ, in quib. omnibus eligendis obseruandum est, ne sint astringentis facultatis, sed leniter dulcia, atque odoratissima. Quod, vt Galenus monet, in omnibus Medicamentis, quæ per os sumuntur diligenter est obseruandum, & inprimis in Antidotis, quæ vt plurimùm ex amarissimis rebus, vt in Theriaca & Mithridatio apparet, conficiuntur: nam experientia cōstat, omnia simplicia Medicamenta contraria morsibus serpentum esse amarissima, ideoque aliquid grati saporis illis fuit conciliandum. Atque ideò cùm duum generum Phalernum reperiatur, vnum dulce, alterum medium inter dulce & austerū, quod discrimē etiam in Tmolite erat, Galenus semper elegit dulce, quod cùm vsq; ad 20. annum, quamuis natura sua dulce esset, crudum erat, & nonnihil adhuc acerbū, non accipiebat ad Theriacam, nisi post viginti annos, vel etiam quod antiquius esset: modò sapor illius non esset mutatus. Et ita Andromachus intelligendus, quando

ait, vetus vinum, at non inueteratum esse vsurpandũ. Si itaque ex istis quatuor Græciæ generibus vinum aliquod laudabile habere poterimus, optimum erit. Veruntamen cùm hæc res propter Turcarum suspecta commercia, admodum difficilis sit futura, planè existimarem vinum istud quod Maluaticum Venetijs vocatur, rectissimè vsurpari posse: Nõ solùm quia in Græcia nascitur, in locis similibus cum prioribus, sed quia insuper notæ omnes quas suprà commemorauimus illi conueniunt. Colore enim aureo præditũ cernitur, subtile est, pellucidum, clarum, odoriferum, vinosum, & potens, non fumosum: cuius duo genera reperiuntur, vnum subausterum, (vulgò garbum vocatur,) alterum dulce; quod postremum est eligendum: vidi enim quòd quidam amicus meus Beneuentanus reliquerat inscius aliquot cyathos istius vini in quadam lagena, eundem tamen saporem & odorem post triennium retinuisse: quod indicauit suam firmam naturam, cùm vas tamen satis amplum non etiam fuerit plenum: & proculdubio in alijs locis in Creta vel Venetijs, idem antea quoque per aliquot tempus fuerat asseruatum.

Hocque vinum facilè haberi poterit,

modò curemus Venetijs maximè vetus comparari, de quo certi ſimus, id ſaltem ad ſeptimum vel octauum annum perueniſſe, néve ſit amarum: Quò enim vetuſtius, eò melius. Et cùm Maluaticum multò ſit defœcatius quàm aliud vinum, nō arbitrarer requirere tantum temporis ad ſuam concoctionem aut perfectionem quemadmodum Phalernum: ideoq; iam indicatū tempus ſufficiet, ſi quidem antiquius reperiri nequeat. Semper tamen in hoc intenti ſimus, ne prorſus inueterauerit. Non enim illis eſt aſſentiendum, qui putant vinū nunquam poſſe inueteraſcere aut exoleſcere: inſiſtentes cōmuni prouerbio, quo dicitur, omnia progreſſu temporis vetuſtatem pati excepto vino. Vnde iſti quam vetuſtiſsimū vinum inueſtigant, non attendentes poſtea vtrum ſit amarum vel acre: quæ tamen certiſsima ſigna ſunt, vt ſuprà diximus, ipſius vetuſtatis.

Requiritur autem ideò antiquiſsimum vinū, quia tale deputatum eſt ab omnibus fecibus, quod in recentioribus non accidit. Reperitur etiam in regno Neapolitano ad Oppidū, Centola dictum, vinū fuluum aut aurei coloris, clarum, pellucidū, vinoſum, odoratum & defœcatum cum quadam dulcedine

cedine: quòd omnes notas anteà cōmemoratas in se continet: ideoq; multi ad Antidotos cōuenietiſsimum eſſe cenſebāt. Sed quia longè inferius eſt Maluatico, & Romę de eius perſeuerantia facientes quidam periculum ſedula obſeruatione depræhenderunt, nec vnam quidem æſtatem ne aceſcat, poſſe durare. Notandū tamen ſi Theriaca tertio vel quarto ſtatim anno planè inſumeretur, (quemadmodum ferè ſemper hodie à pharmacopæis fieri ſolet,) non abs re eſſet accipere vinum quoq; quod nō ita ꝑ multos annos corruptioni reſiſteret: cùm præſertim aliud haberi non poſſet. Quod quidem melius explicabimus poſtea, vbi de Theriacæ tempore per quod durare debet, loquemur. Cùm itaque Maluaticum antiquum & omnibus numeris abſolutum, qui diligentiam adhibeat, facilè Venetijs conquiri poſsit, non opus eſt plura de alijs vinis afferre.

Vnum tamen addendum, vinum nimirum ad Theriacam conficiendam eſſe tanti momenti, vt ſi aliquid in eo de illa perfectione iam dicta decedat, ipſius compoſitionis vniuerſæ ſaporem, & per conſequēs, naturam quoq; & perfectam compoſitionem labefactari: ſicuti ab eo factum

eſt. Cuius Galen. 2. cap. lib. 1. de Antidotis meminit: qui Theriacam à ſe paratam depræhendit eſſe acidam redditam; quoniam plus quàm oportuit vini ad eam adiecerat: idque inſuper nec ſatis antiquum aut probè defœcatum fuerat: quem ſaporem etiã ſolet acquirere propter panem minus bonum, qui ad Trociſcos viperinos aſſumitur: quando nec rectè coctus, neque benè fermentatus, aut in nimia copia inijcitur. At ſatis nunc de vino diximus, ſequitur vt de melle agamus.

DE MELLE.

CAP. XXX.



ANDROMACHVS accipit Mel Cecropium, id eſt, Atticum: Hoc enim eo tempore in pretio erat. Sed ita ſæpè hoc adulterabatur, vt facilè, ſi quis non diligenter attenderet, deciperetur. Nam ex Inſulis Cycladibus Græciæ Athenas Mel quoque apportabatur, quod poſteà per totum orbem terrarum ſub nomine Attici & Himenæi (ita à monte Atticæ regionis

gionis vbi præſtantiſsimum colligebatur, nominatur) Mellis diſtribuebatur: cùm nequaquam fieri poſſet, vt tam exiguus locus tantam copiam illius ſuppeditaret, vt toti orbi terrarum abundè ſufficeret: quod idē vt diximus quoque contigit de Vino Phalerno & Petroſelino Macedonico. Galenus & Dioſcorides Melli quod copiosè in Cycladibus prouenit, ſecundum locum tribuebant: ſed quia pluris fiebat, ſi ſub nomine Attici Mellis venderetur, & guſtu aliquam acrimoniam præ ſe ferret, qua tamē naturaliter carebat, ideò in fundo vaſis ſolebant collocare quantitatem non exiguam Thymi. Vnde paulatim non ſolùm ſapor illi communicabatur acris, ſed etiam odor ſimilis: imò tandem Thymi aliqua pars in ſuperiore parte eminebat & ſuperfluitabat, quamobrem Galenus admonuit in multis ſuis libris, non accipiendum Mel quod odore & ſapore Thymum referat, quia non eſſet eiuſmodi natiuum.

Dicamus itaque primùm quæ notæ ſint optimi Mellis, deinde oſtendamus ex quibus locis collectum apud nos reperiatur tale, quod Attici locum ſupplere poſsit. Probatur itaque maximè dulciſsimum & acutiſsimum: habetq; hoſce ſapores duos

tanquam natiuos: qui etiam quò validiores aderunt, eò Mel erit perfectius. Sicuti autem in Sapa dulcedo gustanti deprahenditur obtusa & sine vellicatione: ita in Melle quoque hæc adest cum maiore tamen acrimonia. Et hæ sunt notæ præcipuæ, & quasi magis essentiales. Reliquæ à quibusdam accidentibus, quæ naturæ eius adiunguntur, sumi solent, neque faciunt ad perfectionem optimi Mellis, sed eam quasi consequuntur. Prima nota est color, qui esse debet flauus aut rubescens. Deinde odor, qui suauis & bonus requiritur. Tertiò eius substantia, ne sit nimis crassum aut liquidum, neque in grummos condensatum, sed aliqua ex parte dilutum: & in mediocri consistentia vndique æquale, & lentore præditum, vt si digito compræhensum rursum decidat, vnitum instar visci in longum trahatur, neque facilè abrumpatur, quod autem in digito remansit, statim in seipsum recurrat & rursum vniatur: tanquam si fibrosum esset: præthereà sit ponderosum & firmum. Quarta nota his additur, quòd eiusmodi Mel, secundum Dioscorid. verno tempore collectum sit: aut secundo loco in æstate. Deterius verò est, quod hyeme reconditur:
hoc

hoc enim crassius est, & nimis resinosum. Has autem notas non esse causas eius bonitatis, sed tantùm signa, inde manifestum est, quòd quædam ex illis deteriori Melli quoque adhæreant, idque Galenus ostendit cap. secundo, de Antidotis, lib. primo, de Melle ex Gnido, & Rhodo insulis allato, quod propter notas vniuersas antea enumeratas Hymettio Melli videbatur par esse, sed experientia postea docuit, illud paulò inueteratum, saporem & odorem vini suscipere: Et propterea omnes Theriacæ, ad quas eiusmodi Mel erat assumtum, vinum sapiebant.

Necesse itaque erit, vt aliam insuper notam obseruemus, quæ nec dici neque describi facilè potest: nimirum quod sæpè experientia probauerimus, vtrum Mel diu duret, & non subitò suam naturam mutet. Ad quam rem non parum proderit, nosse ex quibus herbis Apes illud collegerint. Nam si locus prope Apiarium fuerit refertus Thymo, aut Serpillo, Origano, aut Roremarino, vel Cithyso, ac similib. alijs plantis: non dubitandū quin sit optimum Mel. Deinde multū quoq; refert scire, an ex suis fauis ea arte, qua debuit,

fuerit extractum: nam hanc ob causam, sicuti scriptores de agricultura tradunt, Mel solet esse purius vel impurius: habeatque illam rationem extrahendi pro meliore, quando post primam expreſsionem sua sponte decidat & coletur ex fauis, neque iterum faui exprimantur.

Sed antequam vlterius pergamus, necesse est nos videre, an vera sint ea quæ Dioscorides dicat, Mel in vere collectum esse alijs præferendum: Nam quædam hîc sunt, quæ dubitationem pariunt. Primò enim si Mel ex Thymo collectum est optimum, Thymus autem æstate primùm floreat, quomodo in vere potest perfici Mel: idem dicatur quoque de Cithyso: qui propterea secundum Varronem 3. libro putatur idoneus esse ad valetudinem Apum conseruandam, quod in æquinoctio verno incipiens florere, vsque ad æquinoctium autumni perdurat: & videtur quòd ratione florum, qui tam diu remanent, continuum pabulum Apibus præbent. Iam si incepe-rint Apes mellificare ad principium vernum, & ipsorum labor, priusquam finiatur, per aliquot menses continuetur, apparet nullo modo in vere Mel collectum posse accipi. Praetereà ipse Varro ait, ter in anno

eximi

eximi fauos plenos Melle. Primò ad exortum Vergilianum, quod eſt propriè circa principium æſtatis: Secundò in fine æſtatis: & tertiò in occaſu Vergilianum, qui eſt finis autumni. Palladius quoque clarius dicit, quòd menſe Iunio aperiantur aluearia Apum ad eximendum Mel: itaque hi omnes autores excludunt vernum tempus.

Sed facilè huic quæſtioni reſponderi poteſt. Nam dicere, quòd Apes tantùm ex floribus Mel colligant: potius hominib. vulgaribus, quam doctis conuenit, quandoquidẽ non ex florib. ſolùm, ſed multò magis ex frondibus hoc eliciunt. Nec exiſtimandum, Mel eſſe ſuccum ex herba vel flore ortum, quanquam in baſi florũ vbi herbis appenduntur fermè omnium, neſcio quid dulcedinis depræhendatur. Sed quo modo Mel colligatur, ſatis dilucidè exponit Galenus lib. 3. cap. 39. de Alimentorum facultatibus, vbi ait, Alimentum partim ex animalibus, partim ex plantis ſumi, Mel autem ad neutrum horum poſſe referri, ſed in frondibus plantarum, quarum neq; ſuccus, neque fructus, nec pars aliqua eſt illud naſci, & eſſe eiuſdem naturæ cum rore: in eo tantum differens, quod non ita copio-

ſum ſit, aut omni tempore, aut eo modo quo Ros decidat. In æſtate quidem quando calor erat maximus, & nox ſecuta eſſet frigidior, Galeni temporib. tam copiosè decidit, vt audierit ruſticos quaſi ludendo cantare: Deus Melle hac nocte pluit, quia in arborum frondibus ac fructibus, & in herbis eius, plurimum fuerat repertum, & ab incolis collectum. Quique profeſsionem faciebant explicandi cauſas phyſicas, referebant id accidiſſe propterea, quòd pridie vi caloris Solaris multi vapores è terra & aqua fuerant ſublati, qui primùm benè vniti & cocti ac depurati, ſuperueniente poſtea frigore ſequentis noctis, congelati & concreti in fruſta, propter grauitatem ceciderant ſuper arbores & alia plantarum genera. Quod potiſsimum in Monte Libano frequenter accidebat, ibique vocarunt Mel roſcidum & aërium. Ex his luce meridiana clarius apparet, Galenũ hæc intellexiſſe, de noſtra Manna lenitiua, quæ in Calabria & alijs locis regni Neapolitani colligitur. Cùm Galenus affirmet quoque, Materiam, vnde Mel generatur, eſſe ſimilem Rori, atque etiam ipſi Mannæ, tantumq; in hoc differre, quãtũ ipſemet Ros collectus ab Apibus, propter tranſ-

pter transmutationem ab illis acquisitam, & ob alias res (quarum plures sunt) quæ vnà cum Rore isto miscentur, diuersam postea formam assumit. De quo hic locus non est plura scribere: cùm tantùm nostrum consilium in hoc opere fuerit, diligenter pharmacopæos instruere de cognitione omnium simplicium, ex quibus Theriaca conficitur. Et cùm iamdudum in animo habeamus peculiarem commentarium de Manna componere. Eumque quamprimum propter alias occupationes fieri poterit absoluere: Intereà legãt studiosi libellum de Manna editum ante paucos annos, à clarissimo Medico Donato Antonio Altomaro. Iam itaque satis sit scire, quòd Mel collectum ab Apibus, nihil aliud est quàm ipsa Manna: nec necesse est eam de floribus tanquam eorum substantia solummodò sumi: sed in floribus, frondibus, saxis, corijs, & vbicunque ista concreta res consistere potest, colligi potest. Verum quidem est, in floribus, propter eorum caritatem, magna ex parte, & potissimũ illos, q formam calicam habent, diutius hęrere illam Mannam de cœlo decidentem: eamq; ob causam apes flores frequentius petunt quàm frondes, in quib. facilè dissipãtur illæ

guttæ,

guttæ, quæ etiam intra arborum ſubſtantiam concluduntur, quò per occulta eorum foramina penetrarunt: quæ poſtea inciſa iterum foras emittuntur: quod noſtris tēporibus in Manna vulgò Sforzata, id eſt, coacta, fieri manifeſtum eſt. Vnde Cithyſus commendatur ad Mellis generationem, quia cùm flores eius per multos mēſes durent, continuò rorem vel mannam Apibus ſuppeditat: & ob iſtud alimentum diuturnum non ita facilè in morbos incidunt: quā ob rem Agricolæ ad Apiaria multum Cithyſi ſerunt. Et hoc pacto, vt mihi videtur, Varro intelligendus eſt. Habet autem Cithyſus aliud quoque in ſe commodum ad bonum Mel generandum, quanquam melius de Thymo proueniat: nam quò longiore tempore in planta hic Ros ſiue Manna commoratur, eò plus etiam de ipſius qualitate aſſumunt, & propterea Thymus, Serpillum, Origanum, Roſmarinum, Coronarium, & aliæ ſimiles plantæ, cùm ſint frutices odorati, & ſtomacho omnibusque principalibus membris vtiles, atque ideò loco Condimenti ac Medicamenti vſurpentur, ſequitur Mel quod ex Rore ſuper ipſas cadente confectum fuerit, eſſe optimum: nam aliquid in ſe retinet de illarum
plan-

plantarum qualitatibus: contra verò quod ex venenatis ſtirpibus colligitur lethale fieri ſolet, quale erat ex Heraclea Ponti, eo anni tempore quo florebat Aconitum: de quo Dioſcorides 6. libro de Venenis. Atq; eam ob rem Mel ex Sardinia amarum erat, propter Abſynthium ex quo Apes illud collegerant, vtileque erat ad cutis vitia, quia magis quàm dulce Mel abſtergebat. Eadem cauſa eſt quod Manna in quercubus reperta præferatur alijs omnib. quæ in frondibus amaris colligitur: inter quas deterior eſt iſta etiam quæ prius concreta in ipſa Fraxino aut Orno, poſtea per violẽtam inciſionem ex ipſorum truncis rurſum extrahitur: Nam quia cum ea proprius arboris ſuccus crudus & inconcoctus adhuc commiſtus eſt, qui non facilè à noſtro calore vincatur & mutetur, diu propterea in corpore hæret, efficitque vt ille liquor qui alioqui lenis eſt & ſine moleſtia, corpus euacuet, fiat moleſtiſsimus, & naturam violentiſsimam non aliter ac ſimplex purgans & venenoſum quodcunque aliud, ſuſcipiat.

Sed nimis longè diuertentes, ad propoſitum dubium alterum reuertamur, qua ratione ſcilicet Mel in vere collectũ à Dio-

ſcoride

ſcoride potiſsimum commendetur: cùm tamen, ſecundum alios ſcriptores, Agriculturæ, notum ſit quòd ſemper alijs potius temporibus, quàm in vere illud colligi ſolitum fuerit. Sed reſponſio eſt in promtu. Nam ſi ad ortum Vergilianum, quæ Pleiades quoq; vocantur, primo loco Mel colligitur, & tum finis eſt verni temporis, dici adhuc poteſt Mel in vere collectum: & quãquam initium æſtati attingeret, idem tamen vernum Mel erit: nam initium vnius temporis ſimilem habet qualitatem cum fine præcedentis. Vel dicamus, Dioſcoridem intellexiſſe Mel vernum, id eſt, quod illo temporis ſpacio ab Apibus erat primum elaboratum: collectum verò poſtea cùm eſſet plenum & maturum nimirum in æſtate. Quæ ratio mihi non diſplicet: nam ſi ſtatim Mel initio veris eximeremus, aut etiam paulò poſt, in hyeme illud apes elaborarunt: quo tamen tempore herbæ nullius ſunt momenti propter glaciem & niuem: & quia tum frondes deciderunt: quemadmodum in Thymo obſeruauimus in Apulia, vbi tanta copia eius creſcit, quòd ferè per totum annum ad comburendum ſatis habeant. Qui poſtea quotannis nouos ramuſculos & capitula plena

floribus

floribus & ſemine profert, quod tamẽ ſemen ita exiguum eſt, vt ferè viſum effugiat. Quare Gal. quoq; propterea Mel ex calidis & ſiccis herbis collectum laudat, quia partium eſt ſubtilium & magis penetrat, & in pituitoſis ac frigidis corporibus in ſanguinem conuertitur, & benè nutrit: in calidis verò & bilioſis non in ſanguinem purum, ſed in bilem mutatur. Palladius igitur non malè in menſe Iunio voluit Mel eſſe accipiendum, quia tum certi ſumus Apum aluearia eſſe plena: tametſi ille non affirmet, hoc eſſe inter alia omnia optimum, quod tamen nos coniectura aſſequi poſſumus: nam in vere & principio æſtatis elaboratum eſt.

Diximus ſuprà de notis Mellis laudabilis: nunc addamus ſigna deterioris. Eiuſmodi facilè inter cadendum in terram abrumpitur, nec vnitum permanet, vnde vel nimis craſſum vel dilutum nimis eſſe ſtatuendum eſt, aut quod diuerſarum partium ſit nec æquale. Quod qui diligenter conſideret, eò certius ita eſſe cognoſcet, quia reperiet in ſumma eius parte innatare partes quaſdam craſsiores, & interdum humidiores, quæ non ſolũ inter ſe, ſed etiã cum reliquo melle non ſunt eiuſdẽ naturæ,

quæ

quæ multæ ceræ admiſtionem indicãt: quẽadmodum ſi humidiores partes aſsint humorem quendam crudum, excrementoſum, & qui difficilime à calore humano concoqui poteſt adeſſe monſtrant: quod eò magis tale erit, ſi nõ ſolùm guttulæ aliquot eiuſmodi Melli ſint admiſtæ, ſed vniuerſum humidum & dilutum ſit. Cui verò Cera, aut Propolis, aut illa pars, qua Apes fauos inter ſeſe agglutinant, & Erithace vocatur, admiſta fuerint, quod apparet ex conſiſtentia craſſa, quæ in ſuperficie aut media eius parte fluitat, non ſolùm bonitatis expers eſt, ſed quoque deterrimum habebitur. Cùm Mel planè nullam externam qualitatem euidentem, neq; in ipſius partib., nec ſapore retinere debeat. Vnde quod ſupra modum Thymum ſapit, quoque improbatur, nõ tantùm quando ad conciliandũ illi ſaporis acrimoniã, vt ſuprà diximus, Thymus admiſceatur: ſed ſi naturaliter quoque ſaporem & odorem Thymi nimium refert. Nã indicio eſt Mel eſſe adhuc malè coctum & non rectè tranſmutatum ab Apibus, & potius Rorem adhuc vel Mannã, quam ipſum Mel dici debere. Neceſſe enim eſt ab apib. in omnibus ſuis qualitatibus mutationem ſuſcipere, ſi reuera Mel dicendum ſit. Sic
cùm

cùm primum ſuper herbam album fuerit, redditur deinde rubeſcens, & ex aquoſo & fluxibili fit tenax, corpulentum & viſcidum: & ex ſimplici dulcedine fit dulce ſimul & acutum: atque ſaporem quem ex herba aſſumſit, ex qua colligitur, prorſus perdit, aut ſaltem obſcura quædam qualitas, quæ eſt exigui momenti, remanet: ideoq; Galenus cap. 6. lib. 7. de Methodo curandi (vnde hęc deſumta ſunt) vt vituperat Mel quod nimium ſaporem Thymi habebat, ita laudat alterum quod ipſius exiguum tantùm indicium præ ſe ferebat, nam indicio erat hoc eſſe in naturam propriam mellis mutatam & ex Thymo collectum.

Reliquum eſt vt dicamus de ætate mellis, vbi notandum, non placere illorum opionem qui mel quam vetuſtiſsimum haberi poterat, aſſumebant: idq; ob eam rationem, quòd ſæpe experti eſſent, mel quòd quamuis præ ſe tuliſſet aliquam perfectionem, poſtea tamen in Thericacam aſſumtum acquiſiuiſſe ſaporem vini, ideoq; ſatius eſſe & tutius accipere eiuſmodi, quod longa experientia durabile, & non corruptioni obnoxium eſſe obſeruaſſemus, quemadmodum de vino diximus. Quæ quidē ipſorum ratio admitti poſſet, ſi tale mel reperi-

retur, quod longo tempore retinuisset saporem suum naturalem sine omni mutatione. At Galenus, qui talia ad artem Medicam pertinentia diligenter explorauit, ostendit se non potuisse vnquam mel aliquod, quod non tandem factum fuisset, nonnihil amarius, & posteà, propter coctionem quæ despumandi causa fit, maiorem adhuc amaritudinem acquisiuisset. Quanquam manifestissimum est, etiam sine coctione, spacio temporis ita fieri amarum: quod Galenus ipse quoque obseruauit in quodam melle Attico præstantissimo quod ipsius pater reposuerat, quod tamen talem amaritudinem contraxerat, vt Ponticum mel etiam ex Absynthio collectum, videri potuisset. Idque semper amarius & quasi nigricans factum, at non multò crassius fuit, quod signum & quidem nō exigui momenti perfectissimi mellis esse solet. Nam, vt ipse tradit, mel istud quod in Chersoneso prope fanum Protesilai reperiebatur, quanquam longo tempore conditiones Hymettæi mellis seruaret, nihilo minus progressu temporis fiebat multo crassius, & inæqualius. Galenus itaque quando ad vsum Imperatorum Theriacam parabat, cùm adesset magna copia mellis ætatis
cuius-

cuiusuis, ſemper eligebat quod duorum annorum eſſet, tanquam melius inter recens & vetus: taleque etiam nos accipere debemus: Apud nos enim multa quoque genera boni mellis reperiuntur, & inprimis cõmendatur Manfredonium, qui locus prope montem Garganum eſt ſitus: cuius pars quæ vrbem reſpicit tota plena eſt Thymo, Roſmarino, Thymbra, & Serpillo, imò per tria milliaria in planicie nihil aliud niſi Thymus conſpicitur, in tanta abundantia, quod pauperes faſces inde collectos in vrbe vendunt, ad inſtruendum focum: & panis in furno, ſine alio ligno cuius ibi alioqui maxima eſt penuria, non excoquitur. Laudatur etiam Tarentinum, quòd ibi quoque Thymus copioſiſsimè creſcat. Et ita reſpectum horum generum vnuſquiſque iudicare poterit, de aliarum regionum melle, an laudabile ſit nec ne: de quo nunc videor ſatis multa dixiſſe,

AN THERIACÆ maſſa cum Saccharo quoque poßit præparari nec ne.

CAP. XXXI.



VAESIVI aliquando ex Imperato, an putaret Theriacam cum Saccharo quoque confici, & propterea meliorem reddi poſſe, cùm Andromachus eo tempore, quo nondum Saccharum fuerit repertum, Melle vti coactus fuerit, & incertum ſit, num ipſe quoque eam cum Saccharo in maſſam redegiſſet, ſi illud temporibus iſtis inuentum fuiſſet. Neq; hoc ratione caret, nam inter alios vſus quos Mel in Theriaca præſtat non eſt poſtremus, quòd amaritudinem ſimplicium ſua dulcedine contemperet, quare hoc modo illa adhuc multò ſuauior, & , vt propriè dicam, minus ingrata guſtui eſſet futura, cùm Saccharum ſit dulcius & magis acceptum quàm Mel, quia præter illam dulce-

dinem non adest acrimonia illa neq; etiam lentor, quæ duæ qualitates efficiunt vt nescio quid insuaue in palato occurrat. Sed hisce rationibus ille respondens, existimabat Andromachum, tametsi suo tempore Sacchari vsus fuisset iam notus, nihilominus Mel potius quàm hoc accepturum fuisse, idq́ue propter plures causas: Quarum prima est, quòd mel videatur esse multò magis idoneum ad conseruandas species in Theriaca, quàm est Saccharum, idq́ue propter maiorem suam viscositatem, & quod minus resoluatur ipsum, quod etiam in causa est, quo minus pulueres quoque ita celeriter dissoluantur: Altera est, quia mel est æquabilis consistentiæ, nec modò liquescit, modò indurescit, sicuti Saccharo accidit. Quæ quidem æqualitas magni est momenti ad conseruationem ipsius Antidoti: cùm Saccharum longiore temporis spacio in se ipsum constringendo, magna ex parte satis durum reddatur, & vasi adhæreant eius frusta quasi sexangula, in quam formam redactum à pharmacopæis vocatur conditum, & eiusmodi spacio duorum annorum, vel paulò vlterius fieri solet: quare ea quæ cum ipso erant in vnum corpus redacta, quoniam id quod ipsa conseruare de-

buerat, perijt, omnes suas vires quoque amittunt. Nam obseruatum est, & quotidie adhuc obseruatur, omnes Antidotos quæ cum Saccharo parantur, non esse vltra duos annos efficaces: & quanquam Saccharum si parum coquatur, diutius liquidum seruari possit, ita tamen situm quendam contrahit, vnde malum odorem acquirit. Atq; ideò neq; nimium nec parum coctũ Saccharum, nobis vsui esse potest, & vtrumq; species corrumpit: nam illud conditur, vt dici solet, & propterea eas exiccat, hoc verò mucorem contrahit: & earum qualitates labefactat. Præterea hoc ex Arabib. patet, quibus & Mellis & Sacchari natura probè cognita fuit, qui plura Electuaria & Antidota cum Melle quàm Saccharo composuerunt, & inprimis quæ diutius durare debebant: contrà Syrupos omnes cum Saccharo parabant, quoniam eorum vsus tantùm erat annuus, quemadmodũ etiam quorundam Electuariorum suauium, quæ propterea etiam singulis annis renouari oportebat. Et sic gratificantes potius palato vsurparunt Saccharum, modò per se simpliciter coctum, modò assumentes ad aliquem Syrupum, sicuti Rosatũ aut Violatũ, qualitate istius quoq; succi tamen permanente inte-
gra:

gra: vel interdũ Saccharũ ex aliquo cõdito, vt ſunt ſpecies Myrobalanorũ. Contrà verò relicto Sacchàro potius Mel vſurpabãt, propter duas potiſsimũ cauſas: vna erat, quandoſcupiebant compoſitũ diu durare: altera, cùm non ſolùm ad maſſam ipſam Melle vti volebant, vt facilius pulueres reciperet, ſed etiam ob eius dulcem & nonnihil etiam acrem qualitatem, propter quas multò validius quàm Saccharum abſtergit. Itaq; nec Theriaca, neq; Antidotus alia celebris cum Saccharo, ſed Melle potius ſelecto, de quo anteà diximus, eſt præparanda.

DE NOTIS PERFEctæ Theriacæ.

CAP. XXXII.

POSTEAQVAM Theriacam omni diligentia paratam habuerimus, inſuper videndum eſt, ex quibus notis ipſius perfectionem poſsimus colligere: quarum quidem multæ ſunt: interque illas præcipua, vt illis exhibeatur, qui vel per os venenum ſumſerunt, aut à venenato

aliquo exterius ſunt læſi: de quo ſuprà quoque locuti ſumus: Nam eiuſmodi homines auxilio Theriacæ ſiquidem fuerit legitima, nunquam moriuntur, ſed ea vim veneni ſemper retundit. Idque ab Imperatoribus & Regibus crebrò in condemnatis ad vltimum ſupplicium, experientia verum eſſe depræhenſum fuit. Nobis verò in gallis gallinaceis qui à ſerpētibus venenatis prius ſint demorſi, periculum facere licet. Alteram notam ſatis quoque certam tradit Galenus 2. cap. de Theriaca ad Piſonem: Quando nimirum Medicamentum purgans propinetur alicui qui prius Theriacam aſſumſit, idq́; plane nihil euacuat, indicare eam eſſe præſtantiſsimam: & contrà, ſi Medicamentum aliquid eduxerit, Theriacam eſſe malam & adulteratam. Cùm perfecta plane rumpat, & auferat vim purgantem à Medicamento. Quanquam in eodem libro cap. 14. prius Medicamentum, & deinde Theriacam propter eundem experiendi modum exhibeat. Vnde collegimus vtramque rationem non eſſe improbandam: quamuis Aëtius huius poſtremi modi tantùm faciat mentionem; atque alium inſuper adiungat, offerens ſcilicet pondere duorum ſcrupulorum Opij

diſſoluti

diſſoluti in aqua, Cani, aut Gallinæ, vel Columbæ, & ſtatim poſtea addens Theriacam magnitudine Nucis Ponticæ diſſolutam, in aliquo liquore: quod ſi laudabilis fuerit, nihil inde incommodi animalibus ſequetur.

Præterea obſeruari debet, an eius conſiſtentia ſit æqualis, non in grummos ſeparata, vel dura aut liquida nimis: Secundò, odor non ſit rancidus, aut alterius fœtoris particeps: neque magis odor vnius ſimplicis appareat quàm aliorum omnium: Sed potius de omnibus odoribus eorum quæ ad illam peruenerunt quidem tertius ita reſultet, vt vel Cinamomi, vel Caſtorei, aut alterius ſimplicis Medicamenti, ne minimum veſtigium odorando reliquum ſit. Tertiò, ſapor ſit nonnihil amarus, non tamen multum: nec vinum ſapiat, quod fieri ſolet, quando mel non fuerit bonum: quemadmodum etiam nimia amaritudo ex nimis vetuſto, & præter modum cocto melle contrahitur: præterea non ſit acida: cuius rei cauſa eſt panis, in Trociſcis viperinis, ſi non benè fermentatus, vel exiccatus, vel in nimia copia aſſumtus fuerit: quod etiam à vino corrupto fœculento, neque durabili accidere ſolet: nam ſi inueteratum

&amaram factum eſt, Theriacam quoque nimis amaram reddit.

QVAM DIV THEriaca duret.

CAP. XXXIII.

NON exigua quæſtio eſt de ætate Theriacæ. Nam olim quoque antiqui Scriptores in ſuis Antidotis quatuor quaſi partes ętatum conſiderarunt: pueritiam, vigorem, ſenectam, & decrepitam ætatem: & quanquam de poſterioribus duabus quaſi certiſſimus, (nam Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem cap. 14. videtur quod ad ſimilitudinem ætatum in homine, ſenectutem eius collocet in annum 60. & in ſequentes decrepitam) nihilo minus de termino ſuæ pueritiæ aut infantiæ non ita conſtat. Quod tamen maioris momenti eſt, nam, vt ex Galeno colligitur, definitur tempus illud, in quo ipſa acquiſiuit perfectam concoctionem & fermentationem, ante quod ad vſum transferri non debet. Hoc ait eodem loco Galenus

nus vt plurimum accidere circiter annum duodecimum: vnde intelligitur, post illum annorum numerum, rectè tum demum vsurpari Theriacam posse. Addit tamen interdum quinto aut septimo anno quoq; vsui fuisse, idq; nimirum, quando necessitas reqrebat, Medicamẽtum hoc quando esset potens admodum & validũ: Quemadmodum accidere solet in eiusmodi casibus, qui præsentem mortẽ minãtur, vt sunt morsus animalium venenatorum, aut hausta venena. At de ætate Theriacæ loquens Aëtius dicit, spacio duodecim mẽsium concoqui eam & vniri: additq;, eos qui voluerunt vti adhuc validiore & potentiore Antidoto, post primũ quoq; sæpe mensem vsurpasse: præsertim in illis quià venenatis bestijs demorsi, aut aliquo Medicamento venenato fuerant infecti: & causam subiungit, quia probabile sit, in periculosioribus malis, Antidotis illis, quæ in suo maximo consistunt vigore, potissimùm subueniri.

Ex quibus verbis Aëtij, primùm apparet, magnam inter ipsum & Galenum esse diuersitatem, nam vbi Gal. duodecim annos, hic totidẽ menses tantũmodo ponit. Vnde quasi certo affirmari potest, in alterutro au tore textum esse deprauatũ, nam Aëtius in princi-

principio huius expositionis inquit, se loqui ex sententia Galeni: nec verisimile est eum ex alio loco, qui ad nos non peruenit, hæc desumsisse, cùm contrarietas nimis sit magna. Quid igitur erit dicendum? Hæc sanè quæstio non exigui est momenti, non solùm propter Medicos, vt suo tempore vtantur Theriaca, sed pharmacopæos quoque (quorum gratia potissimùm hæc scripsimus,) ne scilicet eam vendant, antequam certi sint, quod nihil inde corpori humano detrimenti inferatur. Ac apparet quidem primùm Galeni verba esse deprauata, cùm idem affirmet in lib. de vsu Theriacæ ad Pamphilianum, vbi vocat Theriacam recentem, si modò annum tricesimum non attigerit, infra quem terminum dicit esse vtilem ad venena tam interius assumta, quàm ex morsibus vel ictibus animalium venenatorum exterius inflicta.

Sed ex altera parte communis vsus contrarium monstrat: nemo enim vltra annum elapsum ab eius vsu abstinere solet: nonnulli etiam post dimidium annum vendunt, Essetque nimis molestum, si aliquis spacio duodecim annorum Antidotum hanc priusquam eam vsurpare auderet intactam retinere cogeretur: cùm aliquis

quis sibi tot annorum ne quidem vitam facilè promittat. Quare Aëtij textus videtur minus esse mendosus: non solùm propter rationes allatas, sed etiam, quia hic Autor propterea quod nostris temporibus fuerit vicinior, minus facile deprauari potuerit quàm Galenus; ipsiusque ideo compositiones magis integræ permanserint. Hæc itaq; sententia & mihi melior visa est, & pharmacopæis, vt eam sequerentur semper Autor fui. Quapropter etiam Imperatus noster spacio duodecim annorum, vel paulò vlterius, ter eam parauit, semper anticipando vno anno principium sequentis, cum fine præteriti, vt statim distracta Theriaca prioris anni, alteram posset aggredi.

Quòd si aliquis dubitaret propter proportionem ætatum in hac Antidoto nõ correspondentem, rem aliter se habere, cùm pueritia (vt dici solet) eius definiatur tempore suæ vnionis & concoctionis, quod integrũ annum complectitur, & absurdũ sit, senectutem posteà eius, extendi ad annum sexagesimum, nam adolescentia & ætas constans nimis erunt inter sese remota, & extra omnem proportionem: Cùm in animalibus appareat, si aliqua ex illis teneram

ætatem

ætatem vno anno complent, ipſorum ſenectutem definiri decem aut duodecim annis, inter quas ætates ſunt duæ aliæ mediæ, (quemadmodum in Canibus & Equis accidere ſolet.) Dicamus Aëtium quoq; annorum ſenectutis numerum contraxiſſe, cùm velit ſecundum Galenum Theriacam ad annum triceſimum eſſe bonam, attamen in illis morbis, quorum cauſa non eſt ita magni momenti: quod idem dicit Galenus de anno ſexageſimo: & qui diligenter hæc contulerit, videbit Aëtium eadem verba retuliſſe quæ Galenus ſcripſit, niſi quòd pro ſexageſimo poſuerit triceſimum.

Imò neq; ego illis aſſentior, qui tempus pueritiæ definiunt tempore fermentationis: ſed potius dicam illud eſſe aliquam ſolummodo partem pueritiæ, eamq; magis exquiſitè diuidentes, nominemus infantiam, in qua nullus adhuc vſus Theriacæ eſſe poteſt, cùm nondum ſuam formam acquiſiuerit per quam ſolet eſſe efficax, & ætas eius numerari debeat quando ad vſum eam transferre incipimus: ſicque plures anni ipſius pueritiæ erunt, & proportio reſpectu ſenectutis reperietur. Hanc meam opinionē confirmat Paulus Aegyneta, qui & ipſe ex Galeni ſententia Theriacam deſcribens,

ſcribens, vltimum terminum collocat in annum viceſimum, aitque, ſeptimo anno elapſo eſſe vtilem ad morſus venenatos, atque venena intra corpus ſumta, præterea contra peſtem: ſed ad alios internos affectus à decimo ſuæ ætatis anno ad vigeſimum eſſe idoneum. Vnde apparet Paulum quoque tam magnum numerum annorum abhorruiſſe: quanquam nonnihil ab Aëtio diſſentire quoque videatur, prohibens hanc Antidotum ante annum ſeptimum in vſum transferri. Sed quia nimis magna proportionis eſt diſtantia quoad fermentationẽ eius ad ſenectutem, rectius hac in parte Aëtio adhærebimus.

His igitur de cauſis exiſtimo pharmacopæos rectè & vtiliter poſſe Theriacam vendere elapſo vno anno, modò etiam ipſis emptoribus indicent ætatem illam Antidoti, ſic enim Medici de ea certiores facti, rectius illa vti poterunt. Sed iterum plurimum dubitationis inde oritur, quòd Galenus & Aëtius voluerint eò validiorem eſſe Antidotum hanc quò fuerit recentior. Dicit enim Aëtius ratione affectus alicuius lethalis, vt ſunt venena & ictus venenatorum animalium, vſurpandam eſſe Theriacam vnius menſis. Galenus autem

efficaciorem eſſe vult anno quinto quàm duodecimo, in quo poſteriore tempore ait ipſius fermentationem eſſe abſolutam. Quòd ſi regulæ in hoc libro traditæ ſatis copiosè quidem, veritati fuerint conſentaneæ (ſicuti eſſe exiſtimamus,) inter quas dictum eſt & concluſum, Theriacam ex multis ſimplicibus accipere nouam quandam formam, quæ non ſit huius vel iſtius Medicamenti ſimplicis, ſed ab omnibus alijs quædam tertia, eamque formam oriri ex fermentatione, cuius cauſa is qui primũ illam compoſuit ita diligens fuit in terendis omnibus quæ teri ſimul poſſunt, & non vnumquodq; per ſe, in pulueriſandis alijs ſubtiliſſimè, in diſſoluendis ſuccis cum vino, ad adiuuandum miſtionem ſimplicium, quo fit vt tandem omnis minima portiuncula attingat alteram ei ſimilem: ſi itaque, inquam, omnia hæc vera ſunt, quamdiu eiuſmodi vnio vel fermentatio non appareat, Theriacam, hanc compoſitionem non poterimus nominare: neque etiam hoc quod titulus promittit, præſtabit. Ergo neceſſariò dicamus, priuſquam non fermentata atq; optimè vnita ſit, formamque propriam acquiſiuerit, eam ad vſum non eſſe transferendam, atque ante hoc

hoc tempus non tantùm non esse efficaciorem quàm posteà, sed ne minimum quidem valere. Vnde igitur ista sententia Galeni & Aëtij orta est? Quod si perhibuissent hanc Antidotum esse validiorem antequam suam formam esset adepta, ad stupefaciendum scilicet sensus, & somnum conciliandum, cum vis Opij minus tum sit suppressa, verum sanè dixissent, & illis consentanea quæ vterque alibi tradidit, & præsertim Galenus in eodem libro primo de Antidotis, vbi de Theriaca sermonem instituit: sed cùm velint validiorem esse contra venena per os sumta, & morsus venenatorum animalium, manifestum est ipsos intelligere de alia eius principali actione. Quam difficultatem quoque auget, quòd ambo negent Theriacam recentem propter validam Opij vim esse admodum somniferam, & stuporem afferre sensibus, ideoque corporibus humanis eo tempore assumtam plurimum nocere, etiamsi alioqui prodesset: eamque ob causam etiam illam rectius & tutius vsurpari posse, quando pariter vtilis sit ad depellenda venena, & simul nihil noceat ad sensus stupefaciendos, quod quidem præstabit post suam fermentationem. Prætereà, si Philonium Tharsense in-

ter eas compositiones, quæ Colicæ vocantur, celeberrima, cuius basis est stupefactio sensuum, propter vehementissimorum dolorum sedationem, cuius rei causa satis multum Opij accipit, ad vsum nisi vno elapso anno non admittatur, imò multò melius sit, (quemadmodum Galenus li. 12. de Methodo medendi cap. 1. docet) & securius post duos, tres atq; etiam quatuor annos illud vsurpare: quantò magis in Theriaca hoc obseruandum erit, vtpote cuius non sit principalis finis introducendi somnum, & inferendi stuporem, sed Opium propterea assumitur vt simul cum alijs vnitum & incorporatum adiumento sit, quo vna quædam peculiaris ex omnibus simplicibus forma in hac Antidoto existat & cohæreat.

Quod si aliquis hîc diceret, hanc cautionem quidem in Philonio adhiberi, quia ad illud multò maior quantitas Opij quàm ad Theriacam assumatur: sed si quis diligenter rationes subducat, reperiet in Theriaca vix vnum granum pro singulis drachmis accipi, in Philonio verò ad duo grana, & insuper illius partem octauam in vnaquaque drachma inueniri, atq; præterea Hyoscyami quoque quatuor grana & dimidium

accedere.

accedere, quod ſimplex ipſum quoque vim ſtupefacientem habet, quæ omnia ſimul iuncta cum Opio efficiunt pondus ſex granorum, & quinque octauarum partium, quæ quidem quantitas parum à ſeptem granis abeſt. Sed hic rurſum reſponderi poſſet: cùm Philonium ad eum ſolum finem vt ſtuporem ſenſibus introducat, doloreſq; mitiget tantos, qui breui tempore propter ipſorum vehementiam mortem afferre poſſent, ſit inuentũ, neceſſe fuit paulò liberalius aſſumere narcotica, vt etiam vnica vice Medicamentum illud adhibitum, hoc præſtare, cuius cauſa compoſitio inuenta eſt, poſsit, nec crebrò vſurpari neceſſe ſit, & quãquam nonnihil noxæ vis ipſius anodyna & ſtupefaciens ſemel attulerit, hanc tamen facile, principali affectu cuius cauſa vtimur ſublato, emendari quoque poſſe ſperandum ſit: contrà verò, cùm Theriaca ſæpius accipi ſoleat in vno eodemque morbo atq; etiam nonnunquam ſingulis diebus, præſeruationis gratia, etiam per integrum annum, neceſſe fuit duplicem adhibere in ea conſiderationem: vna, vt proportio Opij ſit exigua: Altera, vt iſtius pauci Opij vis per longam concoctionem & fermentationem quæ in Antidoto ſit magna ex parte

mutata & domita esse reperiatur, propterea quoque in principio libri de Antidotis legimus, Mithridatum, Regem Ponticum, assuetum planè fuisse, vt acciperet hanc Antidotum (etsi paulò aliter, & sine viperis fuit præparata) singulis diebus toto tempore vitæ suæ. Atque Antoninus Imperator ad præseruandum se à venenis, Theriacam instar Fabæ Aegyptiæ vsurpauit, cùm verò inde somnus quidem satis profundus inter media negotia illum inuaderet, coactus fuit sine Opio sibi iubere parari. Vnde facilè colligitur, etsi quantitas Opij in Theriaca est exigua, nihilo tamen minus si continuus illius vsus accedat, sensus posse stupefacere, ex quo aliquis non parum offenditur.

Ex his itaque concludere possumus, Theriacam post compositionem tamdiu esse omnino seponendam, donec rectè sit concocta & fermentata, idque partita ratione totius massæ, vt prius formam suam acquirat, quàm in vsum transferatur, partim propter Opium, ne ipsius facultas anodyna remaneat nimis valida: atque ideò quoque Castorei (etsi alia de causa etiam ad Theriacam assumitur,) quasi principale officium est, vt Opij viribus sese opponat.

Quod

Quod ex varijs Galeni locis intelligitur, præsertim 8. lib. de composi. Medicament. secundum loca, cap. 3. Taceo iam alia simplicia calidæ facultatis, quæ ad hunc quoque finem insuper adhibita sunt.

Ex his igitur videtur esse satis euidenter demonstratum, non esse Galeni & Aëtij sententiam satis tutam in eo, quod Theriacam ad vsum transferant priusquam fermentationem adepta fuerit: eoque maior suspicio sese offert, quod etiam volunt Antidotum esse efficaciorem, quo minus adhuc est vnita, & ad suam propriam formam redacta. Cui sanè difficultati non facilè responderi potest, cùm videatur Galenus manifestè sibimet ipsi contradicere: Attamen si probè naturam & vim fermentationis cognitam habuerimus, arbitror vtrumque & Galenum & Aëtium defendi posse. Opus autem est prius quædam non aliena à vero, tanquam fundamenti loco ponere: Simplicia nimirum omnia tantò esse efficaciora, quantò sunt magis recentia, & contra debiliora quo magis obsoleta, intelligentes hoc de eo tempore quo sunt collecta: idque non solùm quando per se vsurpantur, sed etiam cùm in compositionibus locum habent. Et quanquam non

negandum ſit, Mel & Saccharum ad certum temporis ſpacium conſeruare proprietatem ſimplicium, nihilo minus alterum quoque verum eſt, quòd ita quidem conſeruent, vt tamen nonnihil illa proprietas diminuta ſit. Nam calor naturalis ille qui excitatur ebullitione iſta dum fermentantur, in cauſa eſt leuis alicuius quæ vix percipi poteſt tranſpirationis, quæ poſtea continuo temporis progreſſu tandem manifeſto ſeſe exerit, vt tandem poſt certum tempus compoſitum reperiatur inefficax & flaccidum eſſe factum. Quod tanquam omnibus notum non videtur longiore oratione egere. Natura autem fermentationis eſt vnire & miſcere ſimul multa ſimplicia, quod cùm non aliter fieri poſsit, quàm per calorem, qui naturaliter oritur ex maſſa ſimul compacta omnium ſimplicium, propterea quoque in cauſa eſt, ne ſimplicia in priori vigore permaneant, idque eô magis accidit, quò plura ſimplicia inter ſe ſunt contrarijs facultatibus prædita, quæ ſimul in maſſam vnam ſeſe commiſcentia aliquid rurſum in ſua actione patiuntur, vnde neceſſe eſſe nonnihil eorum vires diſsipari & diſſolui. Nam calida cum frigidis pugnantia,

tia, faciunt vt hæc ſint minus frigida, & contrà illa ex his frigefacta, minus quoque calida eſſe ſolent: idem ſentiendum de humidis cum ſiccis, & hoc quidem quoad primas qualitates. Idem tamen quoque accidit in ſecundis & tertijs. Nam eadem actio erit inter aſtringentia & aperientia, amara & dulcia, acerba & matura, non tantùm quatenus per ſe conſiderantur, ſed etiam quatenus ſecundæ & aliæ dependent à primis. Nam ſi à calido oritur facultas aperiendi, detergendi, emolliendi, rarefaciendi, coquendi, diſcutiendi, ſemper quando calidum iſtud à ſuo contrario fuerit nonnihil redditum debilius, neceſſariò quoque ſequitur, alias facultates ab eo dependentes quoque debiliores, & interdum planè etiam inutiles fieri: & ita ratione frigidi iſta ſimplicia minus erunt efficacia, minus detergentia, & ſic de reliquis. Vnde Galenus quoque ſæpius dicit, quibuſdam ſimplicibus calidis Opij vim debere refrenari: atque ideò inprimis illi Caſtorium opponitur, & in alijs multis compoſitionibus, vt in Philonio Tharſenſi, Euphorbium: ſimilemque effectum habent omnia Medicamenta corrigentia, quæ

ad Antidota ſolutiua aſſumuntur, eandemque ſortiuntur actionem & reactionem, quę in ſimplicibus contraria facultate præditis eſſe ſolent, quæ tantò ſunt validiores, quò diutius hoc præſtare poſſunt. Atque ideò omne compoſitum Medicamentum vires ſimplicium ex quibus conſtat magis integras retinet in principio ſuæ compoſitionis, quàm in progreſſu, quando longius à ſuo ortu abeſt.

Alterum quoque hîc eſt notandum, quòd quaſi omnia ſimplicia in Theriaca dupliciter conſiderari poſsint: primùm quantum attinet ad manifeſtas qualitates, per quas agunt, vt ſcilicet calefaciant, refrigerent, prouocent vrinam, mundent, conſtringant, & eiuſmodi alia, quæ manifeſto apparent proficiſci ab illis qualitatibus, quę ſenſibus noſtris ſunt expoſitæ; ſecundò conſiderantur, quantum ad eas facultates, quæ oriuntur à quadam occulta proprietate, vt ſunt, ſanare morſus Scorpionis, Viperæ, Canis rabidi. Iam, etſi fermentatio vtramque reſpiciat, nihilo tamen minus incorruptas conſeruat occultas proprietates quàm manifeſtas. Nec idem accidit illis quod hiſce manifeſtis: nam etſi aliquod ſimplex ad morſum A-
ſpidis

ſpidis ſit vtile, non tamen alterum reperitur, quod ſimiliter ſtatim occulta ſua proprietate ſeſe opponat eidem veneno: nec quia aliquod contra Ceraſtem, aut Dipſadem, vel aliud animal noxium vtile eſt, ideò poterit minuere occultam proprietatem primi. Patet itaque fermentationem magis fauere occultis quàm manifeſtis ſimplicium proprietatibus. Sed quia, (vt Dioſcorid. 6. lib. de Venenis, & multò diſertius Celſus libro 5. cap. 27. tradunt) ad expulſionem veneni ex corpore humano, ſiue per os ſumti, ſiue illati per morſus beſtiarum noxiarum, non ſolùm remedium requiritur occulta, ſed etiam manifeſta proprietate præditum, propterea ſemper quando veneno alicui valido occurrendum erit, multò ſecurius hoc fiet, ſi vtriuſq; generis proprietates efficaciſſimas in promtu habuerimus. Præterea cùm in omnibus venenis commune ſit remedium vniuerſum corpus tranſpirabile reddere, vt per omnes partes illud exhalare poſſit, idque auxilio rerum calidarum conſequamur, quoniam (ſecundum Celſum in loco indicato) omne venenum maiore ex parte ratione frigoris interficit, compoſitio etiam tantò erit in manifeſtis qualita-

tibus (& ſic iam tandem dubitationem iſtam ſoluemus) validior, quantò magis fuerit recentior, quoniam tum ſimplicium vires adhuc integræ & non diſſolutæ ſunt, neque cum contrarijs ſuis quaſi pugnauerunt.

Hac itaque ratione Galenus & Aëtius volunt Theriacam eſſe ante fermentationem magis efficacem quàm poſt illam, intelligentes hoc ita eſſe quatenus contra venena adhibetur, non quidem quoad occultas ſed potius manifeſtas proprietates, quoniam ambæ hæ ad venena extra corpus propellenda requiruntur.

Nec obſtat hîc quòd videamus in Theriacam quoque aſſumi ſimplicia frigida quę calidis opponantur, illorumq́ue actionem manifeſtam impediant, vnde tranſpiratio corporis non adeò multa conſequi poſſet: Cui quidem bifariam reſpondetur: Primùm namq; quando nondum facta eſt, fermentatio compoſiti, & in ſua doſi eo vtendum ſit, primum & quidem longè præ alijs ad actum ſuæ operationis ſimplicia natura calida reducuntur, ac poſtea demum etiam frigida, quare ſæpius quoque contingit, vt cùm calida iam finierint ſuam operationem,

nem, & illorum exiguæ vires amplius reliquæ ſint, tum primum quoque ſuam actionem exerere frigida, quæ cùm à calidis iam fermè euaneſcentibus nihil contrarij patiantur, aliquam inſignem actionem in corpus exercere poſſunt, quod apparet in compoſitionibus Opiatis, quæ ſi recenter præparatæ vſurpentur, quanquam in ſe contineant ſimplicia multa calidiſsima, ſemper tamen frigida & ſtupefaciens qualitas magis ſeſe oſtendit, quàm calida, cùm hoc ſit, vt Philoſophi loquuntur, magis actiuum & celerioris operationis: nec aliud calida in eiuſmodi Medicamentis efficiunt, quam quòd aperiendo vias, Opium deducant ad alia loca, quod cùm ſua natura ſit tardiſsimum, difficulter alioqui per totum corpus diſtribuitur.

Quando itaque Theriacam recentem ſtatim ad vſum transferimus, hoc primum agit, vt omnia ſimplicia calida deducat ad actum, & venenum cogat tranſpirare tam per paruos quàm maiores meatus corporis humani. Poſtea quaſi lento gradu accedunt inſuper ſimplicia frigida, & faciunt nonnihil ad obtundendum quoque venenum, ſua quadam occulta proprietate. Accedit ad hoc etiam,

quod

quòd caro viperina, quæ tanquam baſis eſt totius compoſitionis, dum & ipſa recens & in ſuo vigore exiſtat, multò efficacius ea omnia, quæ promittit in humano corpore, præſtat: Quorum primum eſt, quòd ſua iſta ſympathia quam habet ad venena, ea ad ſe trahat, & poſtea auxilio ſimplicium reliquorum, vim eorum infringat: Alterum verò eſt, quod experientia confirmatum ſit, nihil tam valide prauos humôres à centro ad circumferentiam poſſe expellere quàm ipſas carnes viperinas, ſiue per os ſumantur, ſeu exterius apponantur emplaſtri inſtar. Quam ob cauſam pro efficaciſſ. remedio habentur contra Elephantaſin, & ſic ipſæ quoque occulta quadam proprietate hoc efficiunt, quod calida ſimplicia facere ſolent. Quare etiam credo Galenum & Aëtium, cùm ſtatuerint Theriacam ante fermentationem eſſe validiorem, reſpexiſſe ad carnes viperinas primariò, ſecundo verò loco reſpexiſſe quoque ad naturam calidorum ſimplicium.

Dicamus itaque iuxta hanc primam reſponſionem, ſimplicia frigida non opponi calidis, quando compoſitum adhuc eſt recens & nondum fermentatum, cùm corpus tranſpirabile fiat actione calidorum, ac ſi fri-

si frigida non adessent, idque eam ob causam, quoniam inter hæc duo nondum actio & reactio peracta est: quod vtrumque facit, vt nonnihil ipsorum qualitates frangantur. Sed alia ratione etiam sic responderi potest. Quanquam sint respectu calidorum frigida simplicia numero pauca in Theriaca: nam cùm ipsorum tantùm sint quinque, vel sex, si Opium quoque addatur, calidorum verò ad quinquaginta, pauca ista frigida parum vel nihil repugnare possunt tot calidis, vt impedirent actionem istam, qua prohibetur corporis transpiratio. Et quanquam videamus multa calida non posse vnum Opium superare, hoc ideò tamen contingit, quia diximus in priore responsione, dum Antidotus vnitur & fermentatur, Opium ita frangi & debilitari, vt non idem posit præstare quod fecit ante fermentationem, quo tempore, quanquam simul cum eo quoque alia calida simplicia asint, tamen alijs non resistentibus etiam solùm actionẽ suam exerebat, peracta verò fermentatione in composito, ne minimum quidem agit sine coniunctione suorum contrariorum, & ita quocunque se vertat ad infrigidandum, reperit eodem loco pariter adesse quod æque
etiam

etiam calefaciat, è quibus alia quædam mediocris actio, quæ non ita destruat humanam naturam oritur.

Ex his iam omnibus in medium allatis facilè argumenta eà quibus præcipuæ dubitationes solui possunt desumuntur. Nam ad priorem quod attinet, vbi Galenum sibimet ipsi contrarius esse dicebatur, cùm velit alibi Theriacam esse fermentandam vt ad vsum transferri posſit, alibi verò existimet eam esse efficaciorem, quæ nondum fermentationem experta sit, statuamus illum intellexisse de manifestis qualitatibus simplicium & carne viperina, quæ omnia plus agunt quando nondum massæ mistio & vnio est peracta. Ad alterum dubium, quod nimirum præter rationem Theriacam recentem ob periculum quod respectu Opij euenire potest ad vsum transferri existimetur: Respondeamus, Galenum & Aëtium indicare expressè contra quæ mala Theriacam recentem vsurpandam esse velint, nimirum contra venena, inde facilè quiuis conijcere potest, quòd non continuò singulis diebus totius anni accipienda sit: sed solùm dum periculum euaserimus, quod paucorum dierum spacio vsu venire solet: in quo tempore O-

pium

pium non adeò obesse potest, quin facilè emendari posit: quoniã ipsius proportio à reliqua Theriacę cõpositione longè superatur, cũ in pondere vnius drachmæ nõ omninò integrum granum, quemadmodũ suprà dictum est, reperiatur: & si Theriaca accipiatur quantitate Fabæ Aegyptiæ, quæ paulò grauior est drachma, apparebat in vnaquaque dosi adesse vnũ granum, quare etiamsi per 5. vel 6. dies continuò vsurparetur, non multùm corpus nostrum offendere posset. Neque Galenus aut Aëtius recentem Theriacam exhiberet in illis morbis, qui eius vsum per multos dies vel menses continuos requirerent: nec etiam istis corporibus, quæ causa præseruationis à venenis eam vsurpare, quemadmodum solitus fuit facere Antoninus Imperator, vellent: nam non solùm etiam ipsa dum recens est, sed etiam fermentata, si crebrius vsurpatur somnum conciliare consueuit. Quod si hîc etiam aliquis dubitaret, cùm illa etiam recens debeat dari ijs, qui à Cane rabido sunt morsi, illudq́ue venenum ita occultum sit, vt post multos demum menses, & etiam interdum annos aliquot, primùm suas vires manifestet, quare necesse erit maioris securitatis

causa

cauſa ad plures menſes Theriacæ vſum con-
tinuare, quod etiam aliqui hodierni Au-
tores, qui de arte Medendi ſcripſerunt
cum ſalute ægrorum admonere voluerunt:
Sed ad hoc dicam: nec Galenum quidem
tam longo ſpacio temporis conceſſurum
eſſe Theriacam nondum fermentatam, ſed
tantùm primis morbi diebus, in quibus o-
pus ſit validioribus remedijs, qualis eſt re-
cens, quæ maiore efficacitate reſiſtit vene-
nis: ſed poſteà progreſſu temporis vſur-
pari poterit fermentata & nonnihil adul-
tior, quia tum ſine Opij noxa continuare
eam poſſumus: Et quoniam veneni vis iam
propter aſſumtam Theriacam recentem
ante paucos dies magna ex parte fuerit di-
minuta, ideò tam valido remedio ad
ipſius reliquias expellendas non indige-
mus. At ſi ad interna mala corporis, quæ vt
plurimùm diuturna ſunt curanda hanc An-
tidotum vſurpare cogitemus, non refert,
quin in illo quoque tempore quando non-
dum ſit vnita, accipiamus. Cùm eiuſmodi
affectus non ita celeriter vires deijciant, vt
inde mors repentina ſequatur, quemadmo
dum in venenis fieri ſolet.

Quapropter Theriaca commiſta & fer-
mentata ideò validior eſſe dicitur, quia ad
plura

plura genera morborum vtilis est, quos semper & quouis tempore sanare promittit: attamen perhibetur similiter efficacior esse nondum adhuc vnita, similitudine sumta à viro quopiam, quem dicimus in annorum suorum vigore robustiorem esse ad omnes actiones suas obeundas, quàm in alia ætate: quanquam nonnullas habeat præstantiores, quemadmodum est alimenti concoctio in pueritia: Cursus & robur reliquum in iuuentute & adolescentia: in senectute, prudentia maturior. In ætatis verò vigore propterea intelligitur esse simul in omnibus actionibus validior, quia nulla reliqua ætas tantas in se vires ac ista continet. Eadem ratione dicimus hominem quinque sensus simul habere præstantiores quàm alia animantia vniuersa, quanquam in vno solo à multis superetur, quemadmodum visu ab Aquila, odore à Cane, aut Vulture, & in alijs ab alio aliquo animale.

Vt itaque hæc Antidotus ad omnia interna mala non ad venena tantùm esset magis idonea, rectè veteres considerarunt eam esse prius fermentandam, & benè vniendam, idque magna cum diligentia obseruarunt: nam tametsi fortasſis ad vnum

vel duo genera affectuum esset vtilior prius-
quam ad suam propriam formam perue-
nerit, nimirum ad venena propulsanda,
& ad somnum conciliandum, non erit ta-
men propterea ad vniuersos alios affectus
ita conueniens nisi prius benè vnita sit, qua-
re hoc pacto compensat defectum suæ vir-
tutis cum numero maiore suarum qua-
litatum. Imò nonnulli adhuc accuratius
hæc perpendentes existimarunt Theriacam
ad internos morbos corporis non incipere
vtilem esse, nisi iam contra venena bona esse
desierit. Cuius opinionis videtur fuisse Pau-
lus Aegyneta, docens vsum ipsius in ijs re-
bus, quæ vehementer curationem vrgent
sicuti sunt venena, & venenata insuper ani-
malia, & ipsam etiam pestem, incipere post
septennium: Additq; hæc postea verba. In
alijs verò affectibus celebratur ipsius vsus à
decē annis vsq; ad viginti. Ex quibus patet,
quo pacto distinguat tempus in quo vene-
nis, & alijs morbis prodesse queat. An verò
hæc quoq; sententia Galeni fuerit, aut aliter
ipse senserit, non iam disputabo: nam ex il-
lis quæ superiùs disseruimus hæc facilè in-
telligi possunt. Hæcq; satis sint di-
cta quantum ad ætatem
Theriacæ.

QVOD OPORTEAT *Massam Theriacæ integram seruare, nec quicquam ex ea auferendum, priusquam sit fermentata.*

CAP. XXXIIII.

HOC loco non putaui silentio prætereundam esse quandam opinionem (ne autorem sua fama defraudem) Ferdinandi Imperati, quæ sanè etsi videtur esse contraria doctrinæ Galeni, meo tamen iudicio vera & digna eius ingenio habenda est: quam etiam eò libentius proponam, quòd ex hac disputatione facilius natura & vires fermentationis intelligi poterunt. Is igitur nunquam ne vnam quidem drachmam ex massa Theriacæ antequam sibi visa sit, benè fermentatam esse, aufferre voluit, tametsi à Medicis, vel Amicis alijs qui ad somnum conciliandum, aut propter

suspicionem veneni sumti ea vti constituerant, sæpe vt id faceret fuisset rogatus. Huius sui facti rationem afferebat, etsi Theriaca quamuis in pauca quantitate diminueretur, ante fermentationem, totam tamen Antidotum reddi multò deteriorem. Nam integer annus vel plus etiam temporis, quod requiritur ad perfectam vnionem totius Massæ, non aliam ob causam ad hanc rem præfinitur, nisi vt vnumquodque simplex per alterum possit penetrare toto suo corpore, vel saltem sua facultate quæ per spiritum excitatum à calore huius compositi toti massæ communicatur, quod vt fieri possit, certo tempore opus est. Nam vltimus terminus huius actionis esse solet, quando compositum æquale redditur, nec magis odorem, vel saporem, vel colorem vnius magis quàm alterius simplicis refert. Idque si non fieret Antidotus remaneret imperfectissima: quemadmodum suprà ex Galeni autoritate dictum est: nam si amarissimæ res dulcibus essent temperatæ, Antidotus leuiter amara redderetur, sin verò ea quæ grauem odorem spirant, cùm Aromaticis contemperarentur, non ingratum odorem compositum esset habiturum. At si de Theriaca paulò ante in vnam

massam redacta quippiã auferatur, continget vt plus de vno quàm altero simplici inde accipiat, atq; ita quod reliquum est non retinebit suam conuenientem proportionem: & hoc modo quædam ipsius pars erit amarissima, aliqua verò suauissima: sicuti portio nonnulla odoratissima, altera verò grauissimi odoris. Idq; facile vsu experiri poterimus.

Nam si contigerit, vt forte fortuna ad dextram massæ partem multum Opij deuenerit, & auferendo (exempli gratia) dimidiam libram ex tota massa, maior reperietur proportionis quantitas quoad Opium in ista dimidia libra, quàm relictum fuerit in tota reliqua massa. Sed hæc planius adhuc exponantur, cùm massæ vniuersæ pondus sit, 16. librarum, quæ constituunt vncias nonaginta duas, & Opij asint tres vnciæ ad totam massam proportio ipsius erit in sexagesima & quarta parte. Iam si Opium ab isto dextro latere massæ, vbi diximus eius maiorem quantitatem collocatam esse, accipiatur (exempli gratia) si duodecimam partem proportionis ad dimidiam libram abstulerimus, vt hoc modo Opij duæ drachmæ cum ista dimidia libra ablatæ fuerint, iam qui librarum quinde-

cim & mediæ, quæ in tota massa remanserunt, rationes subducet, reperiet Opij in proportione non reperiri sexagesimam partem, sed nonnihil minus, vnde proportio Antidoti non amplius constabit, & propter eà compositio labefactabitur vniuersa. Atque id quod de Opio retulimus de alijs quoque simplicib. quibus idem contingere potest, intelligatur. Et quemadmodum accidit, quòd auferendo aliquid ex dextra parte Antidoti propter minorẽ quantitatẽ Opij relictam, eius proportio destruatur, ita pariter vsu venire potest, vt accipientes à sinistro latere Theriacæ dimidiam libram, in quo parum vel nihil Opij inesset, vnde libræ quindecim & media, quæ remanserunt, plus Opij continerent quàm Antidotus requirit, atque sic rursum idem inconueniens inde oriretur. Cùm Autoris in hac compositione ordinanda præcipuum consilium fuit, ita totã massam in vnam formam vnire, vt in omni quantitate, siue pauca seu multa acciperetur, semper Opij esset proportio sexagesimæ quartæ partis. Quod tamen nunquam fieri poterit, nisi prius absolutissimè sit fermentatio omnis peracta. Idemq; iudicium de alijs esto simplicibus. Nam cùm Trocisci de Scylla referant trice-

simam

ſimam ſecundam partem ad vniuerſam Antidotum, ſi illorum non plus auferatur quàm dimidia drachma, hæc in iſtis Trociſcis partem triceſimam ſecundam complere debeat. Et ita cum alijs ſimplicibus quæ in multo minore quantitate in hanc Antidotum aſſumuntur, eadem conſideratio eſt adhibenda: vt ſi quoduis ſimplex ex tertia claſſe accipiatur, pro vniuſcuiuſq; portione quæ ad Theriacam ſumitur, pars centeſima & vigeſima octaua debet conſtitui. In ſimplicibus verò quartæ claſsis neceſſe eſt in omni pauca vel multa quantitate, quæ ex tota Theriaca eximitur, ducenteſimam quinquageſimam ſextam partem conficit. Vniuſcuiuſque enim proportio reſpectu totius compoſiti inſtituitur. Eadem ratio eſt de Medicamentis quintæ claſsis, vbi in omni portiuncula totius maſſæ exire debebit è ſingulis trecenteſima octuageſima quarta pars: quemadmodum in ſexta claſſe vnumquodque ſimplex habebit ad totam maſſam rationem ſeptingenteſimæ ſexageſimæ octauæ.

Ex hac itaque conſideratione minutarum proportionum, facilè colligitur, Theriacam omninò eſſe in corpus vnum, vnam-

que formam redigendam, anteà quàm illam ad vsum adhibeamus, quod si negligatur, dicendum esset proportionem istam tanto studio ab Autore compositi huius excogitatam nullius esse momenti. Quod tamen concedendum minimè est: nam Galenus libro 1. de Antid. cap. 2. duo ait necessariò requiri non solùm ad Theriacæ, sed etiam alterius cuiusuis Antidoti compositionem. Primum est, vt naturas simplicium ex quibus conficitur benè cognitas habeamus: Alterum, vt proportio facultatum in Medicamentis simplicibus nobis sit perspecta: quoniam nulla res compositum corpori humano magis vtile reddit atq; iusta & legitima proportio. Qua ignorata (inquit Galenus in eodem loco) Theriacam à quibusdam esse sine æqualitate præparatam, vt vnum aliquod simplex fuerit validissimum, reliqua verò debilissima: quare illud vnicum instar Tyranni alia omnia superauit, cùm hæc massa ad similitudinem status alicuius æqualis qui in Repub. seruatur, parari debeat, in qua ad conseruandam libertatem vnus alteri non est superior, sed omnes æqualiter participes fiunt gubernationis in ipsa. Ad Galenum verò, atque etiam Aëtium qui concedunt vsum

vſum Theriacæ quoq; ante fermentationem eſſe conuenientem, defendendos, nihil aliud hoc loco afferam, quàm quòd ipſi non apertè dicant, propter iſtam ablationē reliquam maſſam permanere bonam, & in priore perfectione, ſed hoc tantùm moneant, Theriacam recentem eſſe contra venena validiorem. Quare non poterimus affirmare quod hæc fuerit ipſorum ſententia, nihil ſcilicet hac ratione Theriacæ decedere: Nā ſi celebres autores aliquid non diſertè explicant, id non debemus nos interpretatione noſtra condemnare, ſed potius decet eos diligenter defendere, ne dum ſtudeamus ipſos mendacij & falſitatis arguere, noſtram propriam prodamus ignorantiam. In hac itaque re ſequamur Imperati admonitionem, vt hac ratione Antidotum præſtantiorem nanciſcimur & alijs natura ſua ad calumniandum pronis relinquamus ſuam contradicendi voluntatem, quamdiu illis placuerit.

DE VIRIBVS THEriacæ.

CAP. XXXV.



LOcvs iam videretur requirere vt ad absoluendam hanc disputationem dissereremus de viribus Theriacæ, indicantes in quibus morbis vtiliter adhibeatur, & vtrum per se sola, vel cum alijs Medicamentis accipi debeat: & quot modis ea vti rectè possimus, item quando in aliquo liquore dissoluta, aut sine liquore, & in quibus malis internis, & quot & qualibus externis vsurpari, prætereà an tutò in omni ætate, & in omni sexu, atque vnaquaque anni constitutione adhiberi queat, & qua ratione variari debeat: Similiter de sua dosi, atque qui casus, aut quod tempus, aut qualis ætas vel sexus postulet maiorem vel minorem ipsius quantitatem, & quando necesse sit

ſe ſit vt bis quotidie ſumatur, aut verò ſemel tantùm, aut alternis diebus, vel longiore temporis interuallo, itemque quæ aliæ ſimiles regulæ legentibus hæc eſſent vtiles futuræ.

Quoniam verò initio expoſuimus hos Commentarios potiſsimum pharmacopœorum, non autem Medicorum cauſa à nobis eſſe conſcriptos, & principale noſtrum conſilium fuiſſe, docere quo modo hæc Antidotus artificiosè præparari poſsit, vt ſecurè ea vſurpari, & ſuis promiſsis omnibus ſatisfacere queat, neque huius loci ſit diſputare de eius proprietatibus, cùm ea res non pertineat ad pharmacopœos: propterea ego quoque hîc non ero prolixior in ijs declarandis, quæ ex Galeni doctrina deſumta adduci poſſent, ſtatimque primo quaſi intuitu ex ipſo Galeno, Aëtio, Paulo, & alijs approbatis Autoribus à Medicis ſeſe offerunt, vnde quæſtionibus exortis ſatisfieri poſsit. Neque aliam ob cauſam volui de omnibus magis fortaſſe quàm opus fuit, particulatim & copioſius paulò ſcribere, niſi vt hi mei Commentarij pharmacopœis, in quorum vſum inprimis à me inſtituti ſunt,

ſunt, eſſent in omnibus clariores: quanquam etiam interdum de ſatis intricatis rebus diſputauerim, eo tamen orationis genere, vt ſperem à mediocriter etiam intelligentibus omnia intelligi poſſe. Quòd ſi eodem modo quoq; de facultatibus huius Antidoti ſermonem inſtituere vellem, præter id quod longiſsimus eſſem futurus, pharmacopœis quoque qui Medicationibus morborum ſeſe admiſcere non ſolent neq; debent, id minimè gratum foret, idq; exemplo Galeni, qui etiam in primo libro, de Antidotis, vbi copioſè hac de re propter vtilitatem Medicorum potius quàm pharmacopœorum tractat, hanc quoque partem omiſerit. At contrà ſi penitus nihil de hac re diceremus, mei calumniatores inde occaſionem ſumentes, obijcere poſſent, hoc ſcriptum ideò eſſe imperfectum (Nam quò ad Galenum, propterea de his non locutus eſt in libro de Antidotis, quod alibi nimirum in libro ad Piſonem & Pamphilianum abundè de illis egerit.) Quibus vt ſilentium imponatur, conſtitui ſimpliciter ea quæ Galenus, Aëtius, & Paulus in diuerſis locis de Theriacæ viribus prodiderunt, hoc loco per ſumma tantùm capita exponere, omiſsis quæſtionibus

nibus & explicatione longiore de multis rebus.

Primùm itaque ſciendum duas eſſe principales facultates Theriacæ. Quarum vna eſt, vt ſanos præſeruet, altera, vt ægrotis ſuccurrat. Cumque homo ex anima & corpore compoſitus ſit, ad vtrumque ſuam efficacitatem extendit. Neque aliam ob cauſam Andromachus tranquillam vocat, hilarem, & ſerenam, niſi quòd corporibus quaſi tempeſtate malorum vexatis conciliet ſanitatis ſerenitatem: exhilarando aniſum quoque occupatum aliqua cauſa morbida, & purgando à tenebris moleſtorum vaporum, qui illum offuſcant, cùm hæc vox tranquilla ad corpus, reliquæ verò duæ ad animam referantur. Præſeruat itaque vſus ipſius mentem ſanam, conſeruans eius prudentiam, & acuens ingenium, & omnes quinque ſenſus reddens perfectiores, idque exiccando & diſsipando fumos & euaporationes, efficiens mentem magis ſolertem & vegetam. Præſeruat quoque corpus, introducens in ipſum optimum temperamentum, & conſeruans eius bonam valetudinem: nam dum humores ſuperfluos conſumit, membraque frigidiora reddita rurſum

sum calefacit, & facultates naturales robo-rat, in causa est vt facilè actiones suas cor-pus obire possit. Omnibus enim clarum est, si natura valida est, tum cibus benè di-geritur, Epar laudabilem sanguinem ge-nerat, & vtramque bilem rectè ab eodem separat & expellit, vnde Cor sanguinem purum & defœcatum suscipiens aptissi-mum illum deinceps facit, ad totius cor-poris nutritionem, & venæ repleatur eo iam depurato, indeque vita ipsa prolon-gatur. Foras præterea expellit modera-tè omnia excrementa, non solùm illa quæ ex reliquijs ciborum fiunt, sed subti-liora quoque per vrinam, sudorem, & transpirationem denique pororum cor-poris insensibilem. Propter has itaque causas, & alias plures, de quibus adhuc loquemur, multi Romanorum Princi-pes Theriacam in vsu habuere, quorum aliqui eam in Lunæ coniunctione accipie-bant, alij in quadratura illius ad quanti-tatem Fabæ Græcæ cum cyatho vno Mel-lis & duobus aquæ calidæ.

Custodit quoque eos qui tempore Brumæ peregrinantur, calefaciendo vi-scera & vniuersum corpus, multò magis quàm

quàm vestes facere solent; & præcauendo aëris malam qualitatem, atque corrigendo etiam aquas corruptas.

Non minus quoq; aliquem ab omnibus venenis præseruat, siue per os assumtis, seu illatis per morsus venenati animalis cuiuscunque. Quod abundè confirmat historia nobilissimi Regis Pontici Mithridatis, qui assumtione Antidoti Mithridatij similis Theriacæ, (exceptis viperis quibus illud caret,) ita corpus suum assuefecit, vt postea nullo veneni genere offenderetur. Iam quanto magis Theriaca hoc præstabit, in qua insuper viperæ quoque habentur, quibus vis præcipua contra venena attribuitur? Accipi autem eo tempore solebat, cùm tribus cyathis vini ad quantitatem nucis, idque tam ante quàm post veneni assumti suspicionem.

Vtiliter quoque illis exhibetur, qui ex aliqua occulta & interna causa extenuantur non aliter ac si venenum hausissent.

Præcauet etiam à peste, eodem modo aërem infectum commutans, ac ignis ex rebus Aromaticis accensus facere solet,

quod

quod vnicum remedium inuenit Hippocrates ad extinguendam pestem, quę ex Aethiopia in Græciam ingruebat.

Quod si interdum accidat, vt senes alimentis obstruentibus vsi fuerint, efficacissima est Theriaca ad præcauendas obstructiones; quemadmodum Galenus docet 6. capit. libr. 5. de Tuenda bona valetudine.

Hæcque omnia quæ iam diximus eam præstare, in præseruando sanos, efficit quoque in curandis ægrotis.

Nam rursum incipientes ab animo, immoderatas depellit curas & vehementes imaginationes, ex humore melancholico ortas, atram bilem in liene & alijs membris planè quasi exiccans. Sanat deliria furiosorum conciliando illis somnum: atq; eam ob causam sedat falsas imaginationes, turbulentiam animi & perplexas cogitationum tenebras.

Deinde ad corpus progredientes, dicimus ea curari veneno quocunq; infectos, statim frangendo vim venenatam, vt apparuit in eodem Rege Mithridate, qui tametsi multum veneni hauserat, inde tamen mori non potuit.

Munit corpus contra venena per morsus serpen-

ſerpentum, ne intra corpus penetrent, facitque vt ipſorum vires planè extinguantur.

Sanat læſos à Cane rabido, nō ſolùm per os aſſumta, ſed etiam parti demorſæ applicata: & ſæpè etiam numero timori Aquæ, quo affectu demorſi à tali Cane ſolent interdum corripi, auxiliari ſolet.

Vtilis eſt in omnibus affectibus internis cuiuſuis membri principalis. Vnde initium ſumentes à capite, inueteratos eius dolores, vertiginem, viſus & auditus debilitatem curat, reſiſtit paroxyſmis Epilepticis, quoniam diminuit & incidit cerebri ſuperfluam humiditatem, & vaporibus, quò minus eò aſcendant, ſeſe opponit. Et in his morbis, ſi corpora ſunt macilenta & exanguia, datur in Aqua mulſa, ſin corpulenta & ſanguinea, in Aceto mulſo. Nonnulli prius iubent in ore mandere Sinapi, & ſputū elicere, ſequenti verò nocte exhibent Theriacam cum aqua magnitudine Fabæ Græcæ.

Ad pectus deinde deſcendentes, illam Aſthmaticis damus, & præſertim orthopnæicis, quia diſsipat & incidit pituitam craſſam, qua meatus pulmonum infarcti ſunt, & attenuando eam ad exitum præ-

parat. Exhibetur tamẽ cum Aceti Scyllitici cyatho vno atque dimidio.

Præterea confert illis qui ſanguinem ſpuunt, modò diluatur decocto Symphiti, vel, vt vulgò vocatur, Conſolidæ, ſi malum ſit inueteratum: quod ſi recens acciderit, ſufficit Oxycratum: Tempus autem aſſumtionis eſt, prima nox ante auroram. Ita Galenus 5. lib. de curandis morbis cap. 13. dedit contra ſputum ſanguinis in quadam muliere propter Catharrhum exortum, Theriacam quatuor menſium, ob vim Opij tum validiſsimam idque ante ingreſſum lecti.

Vſurpatur in tuſsi vetere & recente, itemque in doloribus laterum & pectoris, cum Mulſa, ſi æger eſt ſine febre: ſin cum febre, in aqua dulci, pondere Fabæ Aegyptiacæ, ad noctem. Aufert quoque vocis raucedinem, non ſolùm bibita, ſed in ore quoque retenta inſtar eclegmatis, cùm paulatim permittitur in pectus deſcendere. Quod ſi in potu ſumatur, miſcetur duplex pondus Gummi Tragacanthæ: in mulſo vel paſſo.

Reficit inſuper eos qui ſyncope laborant, & quibus propter ſudores vires reſoluuntur & debilitantur: nam ſudorem ſiſtit, &

ſtit,& vires prӕditas rurſum excitat & roborat.

Progredientes vlterius ad ventriculum, omnes ipſius affectus prӕter naturã curat: quemadmodũ eſt inappetentia maxima,& ipſius contrarium Canina fames dicta,ſiue hӕc oriatur ex vellicatiõe humoris acris & mordacis, ſiue propter copioſos vermes: nam illum incidit & reſoluit, hos verò interficit. Sumitur quantitate Fabӕ Aegyptiacӕ cum duobus ad minimum cyathis vini, ad ſummum verò cum tribus.

Sӕpè etiam medetur Cholericӕ paſsioni dictӕ: partim humores denſando, partim reprimendo.

Sanat quoq; tardam coctioné vẽtriculi calefaciendo & roborando ipſius facultaté.

Inteſtina prӕtereà plurimum iuuat, & peculiariter expellit vermem iſtum latum, maximum,& longiſsimum, qui omne alimentum ex cibo attractum abſumit, & corpus inde gracile & macilentum redditur.

Adhӕc Dyſenteriam & alias inteſtinorũ exulcerationes cum decocto ex Sumach facto ſanat. Similiter Liẽteriam & alios corporis fluxus: ſicuti etiam diuturnos crucia-

tus Colicos,& Iliacas affectiones,& alios in ventre dolores & flatus. Datur autem manè quantitate vnius Fabæ Aegyptiæ cum aqua: nam consumit omnes humores putridos & atros,& flatus discutit. Et si fortè Colici dolores secuti essent ad Medicamētum purgans, pari ratione eos sanat, vt Galenus quoque tradit libr. 12. Methodi medendi cap. 7.

De Epate iam loquentes, curat eius obstructiones, & impetum ex bile exortū propter aliquam ipsius debilitatem, depurando eam,& adiuuando Epar, vt ab omni sanguine mundetur.

Hydropem sanat consumendo humores, & rursum calefaciendo naturalem calorem frigidiorem redditum, & efficiendo habitum corporis firmiorem. Inprimis verò eam speciem efficaciter sanat, quam Anasarca,& Leucophlegmatiam Græci vocant: nam Theriaca totum corpus penetrans, exprimit deprauatam humiditatem. Datur autem tam in hoc morbo quàm Regio vel Ictero cum decocto Asari. Inde apparet eam quoque vtilem esse ad malum corporis habitum siue Cachexiam, eum mutando in meliorem statum, malosque humores in vaporis resoluendo, & procu-

rando.

rando, vt natura ſine impedimento ſuas actiones perficere poſsit.

Quam eandem ob cauſam ſæpè etiam Elephantiaci: primùm correptos curaſſe conſtat. Nam cùm humor corruptiſsimus, qui totum temperamentum deſtruit, in magna copia per vniuerſum corpus diffuſus ſit, Antidotus hæc expellit iſtud malũ, partim quia ſiſtit fluxiones humorum, partim quòd prohibeat corruptionem ſanguinis. Imò Galeno teſte in fine, de arte curandi ad Glauconem, Emplaſtri modo impoſita ad eundem affectum vtilis eſſe perhibetur.

Lien quoque inde non parum vtilitatis capere poteſt. Nam duriciem eius emollit, paulatim conſumendo ſuperfluam humiditatem & ſordes, quæ in ipſo collectæ ſunt, & liberando de alijs omnibus obſtructionib. Sumitur autem cum Oxycrato, quod ſit paratum cum fauis ipſius Mellis, quemadmodum laudatur ab Hippocrate in libro de Ptiſſana.

Renes mundat, abſtergendo ab omni ſorditie & terreſtri ac dura materia. Imò lapides diſsipat, & diſsipatos expellit. Datur cum Mulſo.

Sanat veſicæ morbos, inprimis Stillici-

dium & difficultatem vrinæ , & insuper vlcera & lapidem curat. Ad quæ datur cum decocto Petroselini aut Apij.

Prouocat muliebres expurgationes , & suppressam fluxionem hæmorrhoidum, & quod dignum admiratione est, contra etiam constringit superfluum fluxum tam mensium muliebrium quàm hæmorrhoidum : cuius rei ratio est, quia huius Antidoti cùm sint variæ facultates, subtilia reddit & dissoluit ea, quæ propter suam crassitiem exire liberè nequeunt, & quoniam nimius fluxus oritur ex debilitate virtutis, instaurãdo vires, eũ rursum restinguit, hoc pacto facultatem continentem reddendo validiorem.

Iuuat quoque expulsionem fœtus mortui : in quo casu pariter sicuti quoque in mensium prouocatione , datur cum passo aut aqua mulsa, in qua prius sit decoctum Dictamnum Cretense aut Ruta. Quãtitas in his & prioribus iam commemoratis affectibus est Fabæ Aegyptiæ.

Auxiliatur quoque omnibus fluxionibus reumaticis, quæ sæpè corpus non sine aliquo periculo inuadunt, cùm crebrò ad pulmones delabantur & subitam efficiant

ant ſuffocationem : Eandem ob cauſam Theriaca optimum eſt remedium in Podagra & alijs omnibus articulorum doloribus : vt tamen ſumatur poſt augmentum, cùm peruenerimus ad ſtatum : prius tamen opus eſt, vt aliquo conueniente linimento dolores mitigemus, deinde Theriacam bibendam præbeamus, quia conſumit humores iam affluxos, & qui affluere poſſent, inde diuertit. Sed potiſsimũ prodeſt, ſi ſæpius vſurpetur bona adhuc exiſtente valetudine, præcauendi cauſa. Nam ſuperfluos humores abſumit, & vniuerſum temperamentum mutat. Et quanquam obſeruatum ſit, alia remedia quæ per os Podagrici aſſumere ſolent, prohibere fluxiones humorum ne ad pedes delabantur, tamen cùm non omnem eorum copiam auferant, poſſunt in cauſa eſſe alicuius maioris mali, prout fluxiones aliquod membrum principale inueſtauerint : quare Theriaca remedium eſt conuenientius.

Neruorum etiã opitulatur affectib. tam diſtenſionibus quàm contractionibus, rurſum eos calefaciendo, & relaxando, quẽadmodũ etiã reſolutiones mẽbrorũ, nã ſuſcitando calorẽ natiuum ſpiritus ad priorem

eorum ſtatum reducit, & membris conſuetum motum reſtituit.

Quartanam curat, modò regulas neceſſarias obſeruemus. Nempe, vt primùm per acta cœna vomitum cieamus, & ſequenti die ad Melancholicum ſuccum, vel atram bilem dulcedine quadam imbuendam detur ſuccus Abſynthij bibendus, & tandem duabus horis ante acceſsionem exhibeatur Theriaca. Qui modus à Galeno feliciter admodum fuit experientia confirmatus. Contrà autem qui intempeſtiuè illa vſi fuerunt, ex vna quartana duplicem effecerunt, atque ex duplici triplicem: aut ſaltem duplicem reddiderunt difficiliorem curatu, vel etiam ægrum ad interitum perduxerunt, quemadmodum Galenus in 1. de arte curandi ad Glauconem cap. 11. docet. Idque ideò accidit, quia eam in principio vel augmento vniuerſali febris exhibuerunt, cùm regulariter non niſi in ſtatu vel declinatione dari poſsit: cuius rei exemplum proponitur à Galeno in Eudemo Philoſopho quartana laborante, in libro de prædictionibus ad Poſthumum cap. 2.

In febribus vtilis eſt, adimendo illis tremorem, rigorem & frigus: itemque ſedando vomitum biliosum, qui in principio acceſsionis

cessionis superuenire solet. Imò sæpè ter aut quater paulò ante inuasionem data, vniuersam febrem sanat, modò in ratione victus nullus error committatur.

Galenus 14. Meth. Medendi cap. 2. propter internos abscessus exhibet Theriacam, quia eos in habitum resoluit, & adiuuat eorum dissipationem. Idem Galenus eadem vtitur ad emaciandos obesos & corpulentos. 14. Method. medendi cap. 15.

Ac ne in minimis etiã rebus omnes eius vires recenseam, dicam cum Galeno ad Pamphilianum scribente, eum, qui velit ita commendare hanc Antidotum, quod vsitatos etiam quosdam affectus sanet, vt dolores aurium, hebetem visum & auditum, laxationem Vuulæ: non solùm eã non laudare, sed parum illius existimationi tribuere, nam hac ratione illam alijs Medicamentis non ita magni nominis, quæ etiam istos affectus curant, æqualem faciemus: Nam si Theriacæ ad morbos maximi mométi depellendos facultatem inesse dicamus, quare non etiam ad leuiores valeret?

Concludatur itaque, hanc Antidotum esse vtilem ad omnes istos affectus, quibus frustra alia remedia fuerunt adhibita: Cùm sæpè grauissimos & quasi desperatos mor-

bos, Theriaca victos fuisse constet, vt dici possit, eam sæpe numero non sanitatem, sed vitam propemodum ægrotanti restituisse.

IN QVA ÆTATE, & quo tempore vsus Theriacæ sit securior.

CAP. XXXVI.

RESTAT adhuc nos explicare, quòd non omni tempore in eadem quantitate Theriaca accipi debeat. Cùm enim debitum spacium ad eam digerendam habere poterimus, pondus ipsius erit vnius nucis cum tribus cyathis Aquæ: sin minus temporis nobis concessum fuerit, propter occupationes quæ crebrò accidere solent, satis erit quãtitas Fabæ Aegyptiæ, cum duobus cyathis Aquæ. Obseruandum est præterea, quòd ieiuno ventriculo, quando cibus sit benè coctus, & nullum repletionis indicium asit, eam exhibeamus.

Quantum ad anni tempus, ſemper eam vſurpare præterquàm in æſtate poſſumus. Nam cùm propter anni conſtitutionem tum corpus nimis ſit calidum, itidemque Theriaca calefaciat, illius vſus non ſine manifeſto periculo concederetur. Quare etiam non conuenit, in regionibus natura ſua calidioribus, quemadmodum ſunt loca Orientalia.

Quò ad ætatem, propter eandem rationem, neq; conueniet in media ætate, quæ nimirum ſua natura & ipſa calida eſt, nec in calidis temperamentis, niſi rarò, & in pauca quantitate vſurpetur. Omninò autem pueris interdicitur: nam hęc Antidotus longè ſuperat vires eorum, & ideò tenerum ipſorum corpus diſſoluit, & ſpiritus extinguit inſtar Olei ſuperflui extinguentis lumen lucernarum. Sic Galenus vidit quendam puerum altera nocte poſteaquàm Theriacam ſumſiſſet mori, quoniam cùm eam non poſſet digerere, acceſsit corporis fluxus & extinctus fuit.

At optimè conuenit illis, qui ad ætatem declinantem tendunt, & ſenectuti appropinquant: qui ſæpè illam & in notabili quanti-

quantitate, neque cum aqua sed vino accipere debent: nam hoc pacto corpus ipsorū languidum & flaccidum rursum confirmatur, & pristino vigori restituitur, calorque natiuus deperditus & debilitatus instauratur.

ANACEPHALÆOsis & Epilogus eorum, quæ iam exposita sunt.

CAP. XXXVII.



ONI scriptores consueuerūt in fine suorum Commentariorum breuiter & quasi per summa capita colligere, quæ prolixè & cum multis rationibus prius tractauerunt. Idque vltimo loco faciebant, vt doctrina ab illis tradita melius in memoria retineretur. Quod in hoc nostro scripto quoque vtilè futurum esse putauimus, quo tanquam in vna aliqua tabella sese offerat, omne id quod agendum sit.

sit. Aëtius quidem ostendit se velle breuiter proponere ea, quæ spectant ad compositionem, & à Galeno pluribus fuerunt disputata: sed quemadmodum is qui Medicis potius quàm pharmacopœis ista scribebat, multa omisit, quæ si dixisset lectoribus grata esse potuissent. Nos itaque imitantes Aëtium, & adiungentes ea quæ ille omisit, cōpositionem hanc exponamus, in vnoquoq; simplici indicantes suum delectum, partéque eam quæ accipi debet, & quale succedaneum illius loco, si nondum legitimum inuentum est, ponendum sit: quæ sola doctrina de hoc Medicamento sufficere propemodum poterit pharmacopœis ad absolutam Theriacæ confectionem instituendam, ea tamen conditione, vt prius nostros hosce Commentarios quoque perlegerint.

DE TRIBVS Trociscis.



CCIPIANTVR Viperæ fœminæ, corpulentæ, non grauidæ, captæ in fine veris, præparatæ, & coctę eo modo quo diximus,

diximus, cum Anetho recenti & pauco ſale, donec caro à ſpinis ſeparetur, & cum pane probè cocto caro in paſtillos reducatur, & Trociſci ad vmbram ſiccentur.

TROCISCI
Scyllitici.

Accipiatur vna Scylla meſsis tempore, quando ſine fronde & ſtipite eſſe apparet, quæ ſit ſucculenta, & non ſola in terra creuerit, cui ſtatim effoſſæ ſuperior cortex adimatur, & ipſa fermento recenti obducatur, & in clibano coquatur. Si fuerit ſatis cocta, conteratur, & cum farina candidiſsima Erui ruffi, quæ parum pondere diſtet à Scylla, redigantur in Paſtillos, qui ad vmbram vt Viperini ſiccentur.

TROCISCI HEdychroi.

Accipiatur lignũ Aſpalathi veri nuper in Collegio Patauino reperti, aut lignum Aloës Rhodium. Radices Aſari recentes & benè compactæ. Marum, id eſt, maiorana nobilis, id eſt, ſuæ Cimæ cum floribus & ſeminibus.	Singul. dra. ij.
Calamus odoratus, id eſt, ſuæ radices: eius loco Agalochũ cum tertia eius inſuper parte: aut vulgaris Calamus odoratus. Iuncus odoratus, id eſt, ſuæ Cimæ odoratæ & recentes. Radices coſti veri, aut ſuo loco radices Zedoariæ recentis, non exeſæ, & optimo odore præditæ. Radices Phu ſolidæ, non exeſæ, & odoris abſoluti. Cinamomum: vel ipſius loco	Singul. drac. iij.

duplum

duplum Caſsiæ, quæ ſit cortice craſſo, & fiſtula prædita ſubtili, optimi odoris & ſaporis.
Opobalſamum, loco ipſius Oleum Nucis Muſcatæ factum per expreſsionem.
Xylobalſamum: eius loco Agalochum.
} Singul. drac.iij.

Folium, vel illius loco radices & ſtipites Nardi Celtici, aut radicis Phu, aut Spicæ Nardi, cum tertia inſuper eius parte.
Nardum Indicum, id eſt, ſuas radices quæ eſſe debent odoratæ, recentes, & de illarum numero quæ in ſe adhuc retinent terram odoriferam.
Caſsia, cum ſignis ſuprà commemoratis.
Myrrha, id eſt, ſua lacryma recens, pinguis, & ſucculenta, cum parte venarum candidarum inſtar vnguium.
Crocum recens, coloratum, longum, integrum, non fra-
} Singul. drac.vj.

gile,

gile, neque humidum nec mucidum vel exeſum: ſaporis acuti,& odoris validi, drach. vj.

Amomum: ipſius loco Acorum, id eſt, radix Galangæ maioris recentis, acuti ſaporis,& boni odoris, drach. xij.

Maſtiche: candidiſsima, plena, pura, fragilis, ſicca, odorata, ſtridens, drach. j.

Fac Paſtillos cum Vino optimo, exicca, vt de alijs dictum eſt.

COMPOSITIO Theriacæ.

I. ORDO.

Accipiantur Trociſci de Scylla recentes & non ſitu obducti, drach. xlviij.

II. ORDO.

Trociſci Viperini recentes & non mucidi. Trociſci Hedychroi benè exiccati. Piper longum, non exeſum, neque adulteratum, integrum, bono odore & acutiſsimo ſapore præditum.	Singul. dr. xxiiij.

Opium collectum instar lacrymæ, & non per expreſsionem aut decoctionem factum, quod graue ſit, denſum, amarum, purum, & facilè diſſoluatur. drach. xxiiij.

III. ORDO.

Roſæ rubræ quinq; frondiũ, depuratæ, non ſitu ſquallidæ.
Radix Irídis, Illyrica ſiue Florẽtina, quæ dura ſit, denſa, acuti guſtus, breuis, non exeſa, nõ ſitu corrupta.
Succus Glycyrrhizæ non adulteratus.
Semina Buniadis: aut de Rapo recenti & maturo, acuti guſtus.
Scordium, id eſt, frõdes, flores, & ſimul ſemina, quod collectum ſit in locis ſiccis.
Opobalſamũ. Ipſius loco Oleũ Nucis Muſcatæ per expreſſionem.
Cinamomum. Eius loco Caſſiæ duplex pondus.
Agaricum bonum, friabile, leue, rarum & fœmina.

} Singul. drac. xij.

Myrrha,

IIII. ORDO.

Myrrha, cum ſignis ſuperius dictis.
Coſtus, eius loco Zedoaria.
Crocum, cum ſignis ſuprà enumeratis.
Caſsia, de qua in Hedychrois.
Nardum Indicum: cum ſignis anteà commemoratis.
Schœnanthos, cum ſignis ſuperioribus.
Thus nitidum, rotundum, integrum, albū, intus pingue, non adulteratum.
Dictamnum Cretenſe, id eſt, frondes eius ſolas, recentes, odoratas, adultas.
Rheuponticum, id eſt, radices recentes, non exeſas, guſtu mucilaginoſas.
Stœchas recens, odorata, amara, id eſt, frondes, ſiue ſpicæ eius, cum floribus & ramuſculis.
Marrubium recens, id eſt, folia cum ſeminibus.
Semina Petroſelini veri, recentis, odorati, amari, & acris.

} Singul. dra. vj.

Calamentum collectũ in montibus, id est, folia cum floribus & seminibus.
Terebinthus vera.
Zingiber, id est, radices albæ, nõ exesæ, bono odore, & acerrimo sapore præditæ.
} Singul. dra. vj.

V. ORDO.

Quinquefolium, id est, radices collectæ in locis siccioribus.
Polium, id est, sua coma cũ floribus, seminibus, & folijs, odoris validi, & collectum de montibus.
Chamæpytis, florescens vniuersa planta, excepta radice & lignosa eius parte.
Nardum Celticum, id est, radices solæ & stipites, sit recens, odoratissimum, radicibus crebris, duris & plenis.
Amomum, eius loco Galanga maior: vt suprà dictum est.
Styrax, id est, Gummi & nõ furfuraceum eius. Sit pinguis, resinosa, albicans, odoratissima.
} Singul. drac. iiij.

Meum, id est, radices collectæ in montibus siccis, odoratissimæ graues, non exesæ, siccatæ in vmbra. Chamædrys, id est, frōdes, flores & semina, cum ramis teneris, sit odorata, & ex montibus siccioribus.	Singul. drac. iiij.

Phu, quemadmodum in Hedychrois ipsum descripsimus. Terra Lemnia, eius loco Bolus Armena vulgò Orientalis dicta: Coloris ruffi, aut Terra Melitensis: aut Bolus verus. Malabathrum. Eius loco Nardus & tertia illius insuper pars: vel, vt diximus in Hedychrois. Calcithis: semiusta, quadā peculiari arte. Gentiana, id est, radices plenæ, densæ, amariss. collectæ de montibus siccioribus. Gummi, id est, Arabicum dictum purum & pellucidum.	Singul. drach. ij.

Succus Hypociſtidis verus, nõ miſtus alijs rebus, & arte extractus.
Carpobalſamũ. Eius loco vulgares Cubebæ quæ adhuc in ſiliquis reperiuntur.
Aniſum, id eſt, ſemẽ recens, plenum, æquale, odoratũ, acre guſtatu, & dulciſsimum.
Seſeli verum: colore nigricante, quod Venetijs apportatur: vſurpamus autem ſemẽ.
Cardamomum: minus aut medium. i. ſemina ipſius recentia, odorata, & ſaporis acris.
Fœniculũ. i. ſemen æquale, plenum, odoratum, acre guſtu.
Acacia illius ſuccus: & eius loco ſuccus Sumach.
Thlaſpi, id eſt, ſemen ipſius, verum, recens, acri ſapore præditum, & amarum.
Hypericum, id eſt, Virgulta tenera, cum floribus, frondibus & ſeminibus.
Ammi. i. ſemen ipſius ſimile Apio, odoratũ, recens, nõ puluerulentũ, & quod Origanũ nõ parũ referat.

Singul. drac. ij.

Sa-

VI. ORDO.

Sagapenũ: ſuccus vulgò dictus Serapinũ: non adulteratum, durum, granulis minutis cõſtans, colore Myrrhæ, ſaporis acris, foris ruffeſcens, interius candidum.

Caſtoriũ: nõ falſum, reſinoſum, grauis odoris, acris ſaporis, fragile, vtq; teſticuli oriantur ex vno principio.

Ariſtolochia, tenuis, aut, vt ita dicam, Sarmentoſa, ſiccata ad vmbram, nõ mucore corrupta, ſed recens.

Bitumẽ: Iudaicum non adulteratum, in nigro purpureſcẽs.

Daucus, id eſt, ſemen recens, odore ſuaui præditum, verum.

Opopanax, id eſt, ſuccus non adulteratus, pinguis, leuigatus, frangibilis, grauis odoris, amariſsimus, & qui in aqua facilè diſſoluatur.

Centaurium: minus, id eſt, Cimæ floreſcentes, cum frondibus & ſtipitibus: verum.

(all of the above:) Singul. drach. ij.

Galbanum, id eſt, ſuccus purus, granuloſus, odoris ingrati, ſicuti & ſaporis: non lignoſus, in ſe continens adhuc ſemina aliquot ex ſua ferula, qui non liquefiat niſi ad ignem, debetque benè purgari. } Singul. drach. ij.

Vinum vetus, quod durare poteſt, vinoſum, dulce, non auſterum, non fumoſum, non corruptioni obnoxium, coloris flaui, lucidi, tranſparentis, non craſſum aut turbidum, odore aromatico præditum: quale eſt Maluaticum vetus non adulteratum: cuius eſſe debent, vnc. xl. id eſt, ſextarij duo.


Mel dulciſsimum, acerrimum, nullo externo ſapore conſtans, coloris flaui, relucentis, & puri, odoratum, mediocris craſsitiei, vniforme, æquale, tenax, & quod filum ducat inſtar viſci aut lini: graue, firmum, collectum tempore verno: diu durans in ſua bonitate: confectum ab Apibus in loco Thymis frequentibus, Roſmarino, & alijs aromaticis & calidis & ſiccis herbis conſito:

expreſſum

expressum de fauis semel tantùm: non resinosum: quod sit duorum annorum, neque recentius aut antiquius: Quantum ad ipsum locum commendatur Sipontinum aut Tarentinum.

FINIS LIBRI DE *Theriaca*.





DE MITHRIDATIO BARTHOLOMAEI MARANTAE VENVSINI,

LIBER SECVNDVS.

DE NOMINE Mithridatij.

CAP. I.



ON VIDEO CAVsam quare illi qui describunt res gestas Pompeij Magni, quæ à multis cum admiratione leguntur, ita ſicco planè pede ea prætereunt, quæ contigerunt in illa victoria celebri contra Mithridatem Regem Ponti. Nam inter alia (ad occultandam gloriam iſtius fortiſs. Regis) nihil ſcribunt, quo pacto in manus Pompeij peruenerint reperta ſcrinia inter

res

res pretiosiores à Rege seposita, plena suis secretis, inter quas, vt alia taceamus, multarum Antidotorum quoque descriptiones contra diuersa venena & alios morbos internos, & quidem efficacissimorum fuerunt: è quibus vna erat, hæc quoq; quæ dicitur Mithridatica: quod nomẽ postea vsq; ad nostra tempora semper retinuit. Ex qua re non dubitabo affirmare Pompeium fermè maiorem laudem & famam celebriorem consecutum esse, quàm ex ipsa victoria totius belli. Nam huius vtilitas tantùm ad vnam Romam peruenit, fructum verò & commodum huius Antidoti vniuersus ferè terrarum orbis sibi vendicat. Quantò itaque Mundus Roma maior est, & æternitas dignior ætate definita, tantò etiam maiorem laudẽ Pompeius meritus est in publicando hoc Antidoto, vniuerso terrarum orbi, quàm in obtinenda illa victoria propter solos Romanos. Videtur etiam fortuna quasi miserta istius Regis ex altissimo gradu in extremam calamitatem delapsi, ad compensationem suarum ærumnarum, voluisse illi tribuere immortalitatem, non ex imperijs tot gentium bellicosissimis, quibus cum semper feliciter pugnauit, sibique eos subiecit, neque propter peritiam

impe-

imperandi, & defendendi ſua regna ab hoſtibus, nec ex ſuis celeberrimis & ſempiterna hiſtoria dignis rebus geſtis: ſed à præſtantia & efficacitate huius Antidoti: vnde ille clarius nomen conſecutus eſt, quàm ipſe Pompeius ex triumpho de illo ſuperatur Romæ habito. Hoc igitur ex iſta ſua clade Mithridates lucri conſecutus eſt, quòd hac ratione per Pompeium iſta Antidotus, cum maiore ipſius nominis celebritate in manus hominum peruenerit, quod non accidiſſet certè, ſi vixiſſet Mithridates ad extremam ſenectutem vſque, & ea cum alijs ſelectiſsimis rebus, hæredibus eius relicta fuiſſet, nam etiam ipſi propter eius raritatem accuratius procul dubio aſſeruaſſent, nec cum alijs facilè communicaſſent. Itaque Pompeius optimè ſciebat, Regem iſtum ne viuus in eius manus incideret, ſæpius tentaſſe ſeipſum veneno interimere, quod tamen perficere non potuit, quoniã virtute huius Antidoti ita corpus ſuum cõtra venena tutum reddiderat, vt non amplius venena iſta ipſi eſſent, ſed nutrimentum potius fierent. Cuius rei manifeſtum fuit indicium, quòd cùm eodem veneno duas cariſsimas filias in cõſpectu ipſius vidiſſet extingui, ipſeque mortem ſibi hoc

modo

modo consciscere non posset, indignè ferens se ad triumphum Romam abduci, iussisse se à quodam suo milite interfici. Nec vlla ex re quam hac ipsa certius & grauius testimonium de huius Medicamenti viribus sumi potuisset. Nam nemo postea (quãquam exemplum eius hoc adhuc satis erat recens) tantum animi vel ingenij habuit, quòd ita corpus suum venenis, vt ex illis nihil amplius detrimenti sentiret, assuefacere ausus fuisset. Iam quantò minus hoc accidisset, si experientia tanti Regis id nobis non manifestasset. Qui insuper non solùm rerum Medicarum peritus fuit, sed studuit facultates quoque herbarum experientia certa explorare in hominibus sontibus & vltimo supplicio afficiendis. At hæc omnia ita occulta & abscondita iacuissent, nisi Pompeius aut similis dux ista publicè omnibus non communicasset. Animaduertens enim quanti hæc res esset momenti, Pompeio Leneo liberto suo homini doctissimo, & in bonis literis versatissimo hoc negotij dedit, vt omnes istas descriptiones ex lingua Pontica conuerteret in Latinam, quo communiter omnes illis fruerentur. Fuitque hæc Antidotus ab eo tempore

vsque

vſque in hunc diem in tanto pretio habita, vt nullus fermè, qui alicuius autoritatis eſſet, non ſibi ad fortuitos caſus curaret parari. Atque præter hunc ipſius vſum, tempore inſuper Neronis Imperatoris ad ipſius ſimilitudinem compoſita fuit Theriacæ Antidotus, opera Andromachi Medici, quæ propter viperas additas, & quia compoſitio artificioſior erat, (nam ſecundum commune prouerbium facilè inuentis aliquid adiungitur) longè antecellit Mithridatium, quemadmodum in priore Commentario de Theriaca à nobis copiosè eſt demonſtratum: ſed quantum Theriaca ſuperet Mithridatium, & contra ab hoc quoque illa ſuperetur, paulò pòſt offeretur occaſio diſſerendi magis conueniens. Nulla verò res maiorem fidem vtrique Antidoto conciliare poteſt, quàm quod videamus continuò duorum millium annorum tempore eas fuiſſe ſemper pro optimis & vtiliſsimis habitas, idque non ſolùm in Græcia & Italia, ſed in exteris quoque & Barbaris regionibus, in quibus ſaltem aliquis vſus Medicinę extitit. Vnde etiam factum, quòd Arabici Autores probent ipſarũ deſcriptiones, & nullus quoq; ex Græcis

fit,

ſit, qui nõ mentionem earum faciat, & noſtro tempore videamus magno ſtudio Medicos in Hiſpania, Belgio, Germania, Gallia, Vngaria, Anglia, Aegypto hoc agere, vt continuò ad publicam vtilitatem componantur. Imò ipſius vſus ad Nouas vſque Indias peruenit. Quod ſi non compertum eſſet plurimùm prodeſſe omnibus, abſque dubio paulautim ab hominibus curioſis ipſarum memoria fuiſſet abolita. His de cauſis rogatus à Ferdinando Imperato, cuius iuſtis precibus non debui aut potui hoc denegare, deliberaui eodem modo de Mithridatio, quemadmodum anteà feci de Theriaca aliquid tradere, & ea omnia quæ neceſſaria ad ipſius compoſitionem eſſe videbuntur, in medium afferre.

Satis autem iam diximus de nomine Mithridatio, à ſuo inuentore Mithridate hoc illi fuiſſe impoſitum: idque à Romanis tum, cùm illo vti cœperũt. At prius quoque Theriaca, quoniam contra morſus ſerpentum quoque vtilis eſt, nominabatur, vnde contigit, vt nonnunquam apud Autores hæc Antidotus ſub titulo Theriacæ fuerit indicata. Quæ tamen, poſteaquam Romam fuit perlata, ſemper Mithridatij nomen retinuit, hocque ad differentiam

Theria-

Theriacæ per excellentiam ita vocatæ, ad quam insuper viperæ assumuntur: vnde lectoribus non attentis sæpe confusionem hæc res peperit, facilè enim fieri potuit, cùm longo tempore post Mithridatis mortem primum Theriacæ nomen ab Andromacho fuerit celebre redditum, inueniatur quoque Mithridatio eandem appellationem fuisse attributum. Cùm itaque Theriaca sit præstantior, & inprimis ad morsus serpentum Mithridatio præferenda, quemadmodum Galenus quoque tradit, facilè hinc apparet, quare de illa & non Mithridatio propter ipsius scilicet dignitatem, (quanquam Mithridaticæ Antidoti inuentio sit antiquior) prius tractare instituerimus. Vt hac ratione propemodum rectè dici possit, Mithridatium esse quasi patrem, vnde procreata sit Theriaca. Prætereà imitati sumus hac quoque in re Galenum, qui hunc similiter ordinem obseruans, primùm de Theriaca in libro 1. de Antidotis, deinde in 2. libro, de Mithridatio scribit. Erit autem hæc tractatio breuior, quàm fuit Theriacæ, quia inter vtramque Antidotum neque in arte componendi nec in qualitatibus simplicium magna existit varietas. Vbi tamen opus erit copiosiore

doctrina, omiſsis antea expoſitis eam quoque diligenter exponamus.

EX MVLTIS DEſcriptionibus Mithridatij diuerſorum autorum, quæ nam tanquam optima ſit eligenda.

CAP. II.



NTER præcipuas difficultates quæ in præparando hoc Medicamento initio occurrunt eſt illa, quod tanta varietas deſcriptionem huius Antidoti ſeſe offerat, vt neſciamus quæ nam præ alijs ſit retinenda: atque etiam neglectis quibuſdam deſcriptionibus, quæ verſantur in manibus barbarorum & imperitorũ ſeplaſiariorum, admodum mendoſis, non parum incertum reddit aliquem, quod Galenus, Auicenna, Aëtius, Paulus, Plinius, & alij approbati Autores, ſinguli quidem eorum ſuam peculiarem habeant deſcriptionem: quam tanquam meliorem

præ

præ alijs omnibus commendent. Galenus in 2. libro de Antidotis tres differentes descriptiones tradit: quarum duæ positæ in principio illius libri desumtæ sunt, (vt ipse ait) ex libris Andromachi, quarum tamen altera sub nomine Antipatri & Cleophantis quoque describitur, tertia verò secundum Damocratis sententiam in 2. cap. istius libri exponitur. Hæ autem omnes multum sunt diuersæ inter sese tam in numero simplicium quàm dosi atque proportione; nec planè conijci potest, vtra ex illis tribus à Galeno potissimùm fuerit approbata. Aëtius quidem illam laudat, quam Galenus sub nomine Antipatri & Cleophantis exposuit, tametsi Aëtius pro Cleophante nominet Cleopatrum: quod fortasse rectius legitur quàm alterum, nam Cleopatri sæpius in libris de compositione Medicament. secundum loca fit mentio & eius multæ Medicamentorum descriptiones ibi videntur. Sed inter hasce duas est euidens differentia. Nam præter quam in dosi simplicium non conueniant, etiam differentes sunt in numero, Galeni enim descriptio quinquaginta simplicibus & insuper vno constat, sed Aëtij tantùm quinquaginta. Quapropter hoc dubij

relinquitur, vtra earum ſit emendatior. Et ſatis etiam multùm ab alijs differt quam Galenus primo loco proponit, cùm non plura quàm ſimplicia quadraginta & vnum complectatur, & inſuper in proportione quoque longè ab alijs recedat. Pauli Aeginetæ verò quò ad numerum parum à priore differt, quadraginta & duo ſimplicia compræhendens: verùm in qualitatibus ſimplicium & in eorum doſi ita ab alijs diſcrepat, vt abſque dubio oſtendat ſe non reſpexiſſe ad illam primam, quam Galenus ait ſe ex libris Andromachi accepiſſe. Damocrates, qui verſibus Iambicis ſuam deſcriptionem deſcripſit, eam ex quadraginta octo ſimplicibus compoſuit (nam in his omnibus deſcriptionibus in aliorum ſimplicium numerum neque mel nec vinum referimus) cum magna varietate aliorum qui eam quoque expoſuerunt. Nicolaus Præpoſitus qui inſiſtit veſtigijs Meſue, in ſuo Antidotario, (vt vocant) deſcriptionem propoſuit ex ſimplicibus centum & quatuor, itemque Nicolaus Myrepſius ex centum & quinque: atq; vtraque in doſi quoque plurimùm inter ſe differt. Auicenna verò eiuſmodi numerum quidem retinet, ſed de duabus iſtis rurſum aliam peculiarem

culiarem efficit. Plinius cap. 1. lib. 29. refert ſuo tempore frequentem fuiſſe eam quæ 54. ſimplicibus conſtabat. Itaque in tanta opinionum diuerſitate recentiores non ſine cauſa dubitarunt, qualem deſcriptionem approbandam, & tanquam alijs meliorem ſeligendam eſſe quiſpiam rectè cenſeret. Multi hoc noſtro tempore tanquam præſtantiorem eam delegerunt, quam Andromachus compoſuit, (cui attribuunt primam deſcriptionem Galeni, expoſitam in principio lib. 2. de Antidotis) alij potius eam cuius Damocrates Autor eſt elegerunt, nonnulli hanc vel illam ſumſerunt, & tandem quaſi in arbitrio lectoris relinquentes delectum, vtramque deſcriptam propoſuerunt, ſicuti fecit Iacobus Syluius. Alij poſthabita Andromachi deſcriptione, indifferenter vel iſtam Damocratis, vel hanc Antipatri & Cleophantis aliquē accipere permiſerunt, ſequentes in hac Aëtium & Galenũ: & in illam Galenum ſolùm, quemadmodum quoque Valerius Cordus facere ſolitus eſt. Neapoli & in alijs locis huc vſque vulgo vſurparunt deſcriptionem Nicolai Præpoſiti, vel Auicennæ, vel etiam Nicolai Myrepſij. Ante paucos tamen annos moti longa obſeruatione

doctorum Medicorum in Italia, communi quasi sententia Damocratis quoq; descriptionem receperũt: eaq; in multis celebribus vrbibus vsurpari cepta fuit. Sed paulò post quædam ingenia solicita non sine ratione illi prætulerunt Andromachi compositionem, quare amplius ne quidem mentionem fieri istarum descriptionum longarum vtriusque Nicolai, & Auicennæ videmus: nec etiam reperitur, qui Paulum hac in parte sequeretur, idque eam forsitan ob causam, quòd propter Opij quantitatem quam in vlla alia esset maiorem (respectu proportionis in omnibus) putarunt nimis esset stupefacientem. Sic etiam non opus est de Plinij Mithridatio verba facere, cùm ab ipsomet non satis dilucidè explicetur. Sepositis etiam opinionibus Syluij & Cordi hoc loco, ac loquentes solùm de quorundam doctorum virorum qui nostro tempore adhuc viuunt, sententia totum negotium reducamus ad duas compositiones. Andromachi nimirum & Damocratis, quarum aliqui magis hanc, aliqui potius illam approbarunt. Non tamen omnino Antipatri & Cleophantis silentio inuoluenda, cùm illos secuti sint Galenus, Aëtius, & Cordus. Sed magis de re-

de recentioribus aliquid dicentes, apparet primùm istos qui suadent Andromachum esse sequendum, multas adducere rationes, inter quas potiss. hæ duæ alicuius momenti esse videntur. Prima est: Cùm ille fuerit diligentissimus in componendis Medicamentis, (quod in priore libro quoque abundè à nobis declaratum est,) sufficere nobis quoque debet hac in parte ipsius studium: quoniam omnibus constat, nihil potuisse vnquam desiderari in ipsius cōpositionibus, & eum singularem fuisse artificem in reperiendis compositis Medicamentis præ alijs omnibus Medicis. Deinde hæc descriptio summopere à Galeno in loco commemorato approbatur, eamq; commendat quoque Iacobus Syluius, vir in componendis Medicamentis exercitatissimus. Præterea in illa Damocratea sunt quædam menda, quæ reddunt totam compositionem suspectam: interque alia versus quidem est mutilus, in quo vnum vel fortasse etiam plura simplicia desiderantur, nosque incerti sumus quod nam pro illo sit accipiendum vel eius loco substituendum. Dubitatur quoque an Bdellium sit recipiendum nec ne, cùm ipsemet Damocrates in eo anceps fuerit,

Postremò nondũ omninò constat, in quinta classe, Asarum ne vel Arum sit accipiendum, neque etiam certi simus, quid per Arium sit intelligendum. Contrà Andromachi descriptio perspicua est, & nulla dubitatio de simplicibus in illa existit. Contrà tamen non desunt quoque rationes illis qui Damocratem potius sequendum esse statuunt. Primùm enim istam alteram descriptionem non esse Andromachi asserunt, neque hoc affirmari à Galeno dicunt, sed solùm ex eius scriptis esse, in quibus ille collegerat multas descriptiones à diuersis Autoribus compositas, & bonas & vtiles experientia sua comprobauerat, esse desumtum. Idque hoc pacto se habere, apparet ex Galeno qui in longo capite isto multa Antidotorum genera ex Andromachi libro collecta exponit, inter quæ etiam est Mithridatij descriptio quædam sub nomine Antipatri & Cleophantis: quæ sicuti non ipsius sint Andromachi quamuis ex eius libris assumta, ita de hac quoque dici potest. Quod si quis diligenter quoque perpendat modum ab Andromacho in componendis celebribus Medicamentis obseruatum, depræhendet istam compositionem longè ab isto artificio Andromachi

abesse,

abeſſe, nam multum diuerſæ ſimplicium doſes in ea notantur, vnde non parum confuſionis oriri poteſt, cùm fermè nullum ſimplex quod non differat in doſi ab alijs omnibus aſsit. Quod ſanè exiguæ artis eſt indicium. Et ſi quiſpiam conaretur iſtum ordinem ſimplicium in quo collocantur mutare ac in ſuas claſſes redigere, quemadmodum in compoſitionibus rectè ordinatis vſitatum eſt, fieri tamen nequit, vt in minorem numerum quàm ſedecim ſimplicium reſtringantur, quemadmodum vidi factum eſſe in quadam deſcriptione quam inde concinnauit Ferdinandus Imperatus: attamen ſæpe tantùm ex vno ſimplice vna claſsis conficiebatur: cùm inſuper illæ minutæ diuiſiones, in quibus oboli drachmis addi neceſſe ſit in vnaquoque ſimplici ferè reperiantur, quod ab Andromachi conſuetudine alieniſſ. eſt. Nam ille, quemadmodum ſuperiori libro de Theriaca diximus: diligenter ſtuduit ita ſuas compoſitiones concinnare, vt ſi vna illius tantùm pars, ſiue eſſet dimidia ſeu tertia aut quarta parari deberet, pondera illius ſimpliciter & ſine moleſtia poſſent diuidi: non aliter ac ſi in duplo, vel triplo vel maiore quantitate eam augere vellemus. Addunt ad hæc,

Galenũ non minore laude proſequi deſcriptionẽ Antipatri & Cleophãtis quàm illam ipſam quã Andromacho volunt attribuere. Vnde illis ratio reddenda erit, quare primã deſcriptionẽ in iſto capite expoſitã potius quàm ſecundã elegerint, nam qui Galenũ attentè legerit, reperiet eum tam compoſitionem quàm Andromachi ſtudium approbare. Nec etiam concedunt eorũ deſcriptionẽ eſſe clarã & manifeſtam, quia in multis ſimplicib. dubitatur de doſi, vt in drachmis quatuor Mei, Cardamomi, & Gentianæ: cùm alij (ſecundũ eundem autorem) affirment tantùm vniuſcuiuſq; duas eſſe accipiendas. Dubitatur eodem modo an Gallij tres vel potius ſex drachmæ ſint ponendæ, & præterea non ita pateat, an eo loco Gallion vel ſal ipſum ſit accipiendum, quia ſuſpicio de mendoſa ſcriptura minimè abeſt. Ad hæc rem adhuc difficiliorem reddit, quòd Nardum Indicum, & Spica Nardi in ea deſcriptione tanquam res diuerſæ indicentur, ponentes huius ſex drachmas & tres obolos, & illius drachmas 3. quod plurimum confuſionis affert. Neque omnibus probatur hoc quod quidam, inter quos eſt Cordus, facere ſolent, qui volunt per Nardum intelligi Malabathrum, cùm neq; veteri-

veteribus nec recentioribus vſitatum ſit hoc nomine Malabathrum notare, quanquam negandum non ſit, quoſdam illo tempore exiſtimaſſe Malabathrum eſſe frondes Spicæ Nardi: quod tamen à Dioſc. quoque improbatur. Hæ itaq; rationes ſimul vniuerſæ efficiunt vt nullo modo credendum ſit hanc deſcriptionem eſſe ad Andromachum autorem referendam. Quod autem ad deprauatam editionem attinet, facilius mendoſa loca in deſcriptione Damocratis quàm in altera falſo attributa Andromacho reſtitui poſſunt: cùm inſuper ratione verſuum, quibus fuit deſcripta, Damocratea minus deprauari potuerit. Prætereà dicunt Syluium non præferre Andromachi deſcriptionem Damocrateæ, imò tanquā bonam vtramque propoſuiſſe, quamuis illam anteponat alteri Nicolai quam ipſe quoq; ſcribit ex centum & octo ſimplicibus conſtare. Nec audet tamen iudicare, vtra ex his duab. ſit præſtātior, ſed ſine diſcrimine hoc relinquit arbitrio lectoris, vtat̄ hac vel altera. Vltimò adiungūt, Andromachū in illa deſcriptione nō reliquiſſe Trociſcos Cyphi, quod etiā illius imperfectionē arguat, cū Damocrates eos addiderit. Sed qui Andromachū defendunt, & ipſius ſententiam cōtra alios

confir-

confirmant, afferunt rationem quandam, cui maximè opinio ipſorum innititur: Andromachum nimirum hanc quidem deſcriptionem non compoſuiſſe, ſed habuiſſe eandem illam quæ ipſe Mithridates Rex tanta felicitate in ſeipſo expertus fuerit: Nam quoniam Neronis Imperatoris Medicus erat, facilè habere potuit veram, & ex proprio exemplo deſumtam deſcriptionem, quam Leneus Pompeij libertus, Grammaticus doctiſſ. vt Plinius cap. 2. lib. 25. refert, in latinam linguam vnà cum alijs multis Antidotis conuerterat. Idque ex eo aiunt magis apparere, quoniam anteà minus artificioſa in manibus verſabatur, ob multitudinem ſcilicet claſsium, & varietatem ponderum in ſingulis propè ſimplicibus: ex quo firmiſsimum argumentum ſumi poteſt, deſcriptionem iſtam veram & legitimam ipſius Regis Mithridatis fuiſſe. Qui ſanè magis experientiæ quàm arti incumbens, cùm antea comperiſſet vnumquodque ſimplex per ſe eſſe contra peculiare aliquod venenum efficax remedium, poſtea ſatis multa coniungendo abſque obſeruatione exquiſitiore proportionis artificioſæ, ſtatuit hoc pacto poſſe confici compoſitum Medicamentũ contra omnes

veneno-

venenorum differentias. Et sic, quandoquidem ipse non agebat Medicum, compositionem ex diuersa vniuscuiusq; simplicis dosi instituit: atque ideo reliquæ descriptiones, quæ postea arte quadam in certas classes sunt redactæ, pro illegitimis & non ita experientia comprobatis, quemadmodum illa prior fuit à Rege curiosissimo in hominibus morti adiudicatis millies experta, censendæ erunt. Atque ob hanc causam Andromachus nihil in ea mutare, sed ita simpliciter in suos libros transferre voluit. Sed ad hæc rursum alij respondebunt, Mithridatem Regem non adeò planè rudem & expertem artis, quemadmodum ipsi dicunt, fuisse, cùm semper apud se habuerit Medicos, & eorum consuetudine plurimùm delectatus fuerit: eorumque opera, simplicia ad diuersa venena vtilia ab ipso reperta facilè postea singulari artificio in compositionem aliquam reducere potuerit. Nam tantum studium in res Medicas impendit, (sicuti Plinius quoque eodem loco commemorat:) vt integra etiam volumina illi hoc plurimùm petenti Roma, ab Asclepiade Medico clarissimo de Medicis præceptis missa fuerint. Imò ista obolorum ad drachmas adiunctio artis non

mini-

minimæ quoq; indicium esse potest, quemadmodũ etiam variata vniuscuiusque simplicis dosis, si enim absque omni arte eiusmodi compositiones essent factæ, satis fuisset æquale omnium pondus constituere. Ex his omnibus iterum concluditur Damocratis compositionem præ alijs omnibus esse vsurpandam.

DAMOCRATIS DEscriptionem vera arte esse compositam.

CAP. III.



VANQVAM igitur rationes vtrinq; non sine fundamentis iam in medium allatæ sint; attamen vniuersæ tantùm circa corticem rei versentur, nos adhuc diligentius inquiramus quid deniq; hac in parte sit statuendum. Et profectò primo loco dicamus, illorum, qui Damocratis descriptionem laudant, rationes esse cæteris firmiores, quemadmodum vnicuique qui illas cum alijs conferre voluerit, mani-

manifestum fiet. Deinde nos volentes eadem via qua in Theriacam vsi sumus, hanc quoque controuersiam decidere, reperiemus Damocratem in Mithridatij compositione easdem regulas desumtas ex arte componendi quales Andromachus in Theriaca obseruauit, quanquam diuersa via, sibi proposuisse. Contra verò videbimus Mithridatium Andromacho ascriptum, nullam earum obseruasse, Vnde satis clare patebit, Damocratis compositionē omnib. alijs, qualescunq; illę quidem sint, esse præferendam. Et quoniam ex nulla re ita benè ars componendi, (sicuti nos suprà multis rationibus ostendimus) atq; ex obseruatione variarum proportionum quæ in compositione requiruntur, apparet, examinemus nos quoque quam diligenter à Damocrate & quo pacto ab alijs hoc sit obseruatum. Quanquam verò multa sint capita quæ secundum varias proportionum differentias considerari hîc soleant, nos tamen in priore libro de Theriaca tantùm quatuor attigimus. Prima est proportio quę consistit in simplicibus Antidoti. Secunda in dosi vel quantitate vniuscuiusq; simplicis. Tertia quæ pertinet ad massam, aut, vt ita dicamus, cōsistentiam illius. Quarta verò est specierū cum melle & vino.

Has

Has itaq; & non plures aliæ, quæ nimis sunt
laborioſæ & difficiles, hîc quoq; in explican
do Mithridatio proſequamur. Sciendum au
tem quoq; eſt, Damocratem etiam harum
quatuor proportionum mentionem feciſ-
ſe, ſed præcipuè tamen duabus poſteriori-
bus inhærere, tanquam magis neceſſarijs:
reliquis duabus leuiter tantùm conſidera-
tis: neque tam exquiſitam diligentiam ad-
hibuit quemadmodum Andromachus fe-
cit in ſua Theriaca: qui ne minimam qui-
dem rem quam exiſtimabat aliquid Anti-
doto vtilitatis allaturam eſſe, prætermit-
tere voluit: ita tamen vt non duas priores
Damocrates minimè prætererit. Nam ſex
quoque ordines ſiue claſſes in Mithridatio,
quemadmodum ſex in Andromachi The-
riaca habentur, conſtituit, & vniuerſus
ſimplicium numerus conſtat 48. qui ſanè
aptiſsimus eſt, vt probè per mediam, per ter
tiam, per quartam, ſextam, octauam, & ad-
huc minores commodiſsimè diuidatur
partes. Quod ſanè multùm referre in ce-
lebrioribus compoſitionibus anteà retuli-
mus. Nam ex numero ſimplicium rectè
conſtituto oriuntur poſtea reliquæ etiam
proportiones: quæ ſi non aliqua certa re-
gula definiũtur, aliæ proportiones diſtinctè
conſtitui

constitui nequeunt', idque vnusquisque ex sequentibus facilè per se colligere poterit. Omisit itaque Damocrates proportionem numerorum in vnaquaq; classe, quam tamē accuratè Andromachus in sua Theriaca obseruauit. Quanquā ideo hæc compositio non deterior efficiatur,(etsi alterum plus artificij contineat) nam sufficere potest in vniuersa compositione numeri rationem esse obseruatā, quoniam ex eo postea proportiones maioris momenti oriuntur. Sic præcisè etiam in singulis clasſibus dosis simplicium non fuit ab eo considerata, quod tamen ipsum quoque in Theriaca sua Andromachus non prætermisit. Attamen hoc ipsum quoque non planè silentio præterijt Damocrates, nam eam manifestè innuit in tribus clasſibus prioribus per pondus vnciarum, collocando in prima classe decem vncias in octo simplicibus, & in secunda vncias tredecim in totidem simplicibus, sumendo vniuscuiusq; simplicis vnciam vnam. Similiter in tertia septem vncias constituit in octo simplicibus,& hę tres classes ex decem, tredecim,& septem constitutæ efficiunt numerum triginta vnciarum. Reliquæ tres sequentes non per se singulas: sed simul omnes considerando constituunt nouem

alias, quæ ad illas triginta additæ, triginta nouem abſoluunt, vbi tamen vna drachma abundat, quæ non propter aliud adiecta eſt, quàm vt ponderi excurrenti aliquid concedatur, quod adiuuant nonnihil ſimplicia quartæ claſsis, quæ iubet Damocrates aſſumi pondere ſatis pleno, iam hæc 39. ſimplicia, ſatis numerum ad diuidendum idoneum conſtituunt, cùm in vnaquaque parte collocentur tredecim. Neq; ſine ratione autor hunc vnciarum numerum vſurpare, potius quàm alium voluit. Nam, ſicuti paulò poſt dicemus, maſſæ proportio ea fuit propoſita, in qua liquabilia tertiam partem reſpectu aridorum conficiunt, nam horum aſſunt vnciæ viginti ſex, illorum verò tredecim: & ſi vnum atque alterum perpenderimus, reperiemus hunc numerum eſſe aptiſsimum, cùm ita quoq; ratione maſſæ, numeros per tertiam partem diuidamus. Nam de 48. ſimplicibus ex quibus vniuerſa Antidotus conſtituitur, ſedecim, quæ pars eorum tertia eſt, ſunt liquabilia: & duę alteræ tertiæ, id eſt, triginta & duo continent reliquas ſpecies. Atque hoc modo Damocrates obſeruauit proportionem quoad numerum ſimplicium, non ſine artificio, reſpiciendo ad

com-

compositionem totius massæ, vbi requiritur tertia proportionis differentia, de qua tanquam præ cæteris admodum necessaria iam agamus. Cùm itaque Damocrates diligenter ad totam massam Antidoti respiceret, & summo studio æquabilitatē ope fermentationis ipsi conciliare studeret, existimauit hoc optimè posse fieri, si liquabilia, vt sunt succi, lacrymæ, gummi, & alia simplicia humiditate quapiam referta, tertiam constituerent partem, rerum verò ad puluerisandum idonearum duas tertias. Et quanquam Andromachus in sua Theriaca vtatur proportione quadrupla, imponendo liquabilium tantùm partem quartam, & aridorum tres quartas partes, nihilo tamen minus in hoc altero modo fermentatio pariter absoluta, & massa æquabilis reddetur. Ex quibus apparet non vnum modum componendi rectè Antidotos tantùm haberi, quanquam hic postremus sit difficilior quemadmodum paulò post verbosius dicamus. Quoniam verò in hac nostra expositione sequemur descriptionem Damocratis, eam prius quasi in tabula conspiciendam proponamus, vt facilimè simplicia examinare, classes intueri, doses singulorum considerare, & secernere liquida

ab aridis, & ita magis perſpicuè ea quæ de proportione adhuc dicenda ſunt, cognoſcere poſsimus. Deſcriptio itaque Damocratis ex verſibus Iambicis deſumta talis eſt.

DESCRIPTIO Mithridatij ſecundum Damocratem.

CAP. IIII.

PRIMA CLASSIS.

Myrrhæ Arabicæ Troglodyticę.	Singul. drac. x.
Croci.	
Agarici.	
Zingiberis.	
Cinamomi.	
Spicæ Nardi.	
Thlaſpi.	
Thuris.	

SECVNDA CLASSIS.

Seſeli.
Opobalſami. Singulo. dra. viij.

Iunci

Iunci odorati.	Singul. dra. viij.
Stœchadis.	
Costi.	
Galbani.	
Terebinthinæ.	
Piperis longi.	
Castorei Pontici.	
Succi Hypocistidis.	
Styracis bonæ.	
Opopanacis.	
Folij Malabathri recentis.	

TERTIA CLASSIS.

Cassiæ nigræ.	Singul. drac. vij.
Polij.	
Piperis albi.	
Scordij.	
Seminis è Dauco Cretico.	
Carpobalsami.	
Cypheos.	
Bdellij.	

QVARTA CLASSIS.

Nardi Celtici purgati.	Singulo. dr. v. boni pond.
Gummi.	
Petroselini.	
Meconij.	

Cardamomi. Seminis Fœniculi. Gentianæ. Frondium ex rosis. Dictamni Cretici.	Singulo. dr. v. boni pond.

QVINTA CLASSIS.

Anisi. Asari. Succi Glycyrrhizæ. Acori. Phu. Sagapeni.	Singul. dra. iij.

SEXTA CLASSIS.

Mei Athamantici. Acaciæ. Ventrum Scinci. Seminis Hyperici.	Singul. dra. ij. ß.

Vini & Mellis quantum satis fuerit ad vniuersa in vnum corpus subigenda.

RESTITVITVR SIMplex amissum in descriptione Damocratis.

CAP.

CAP. V.



MISSIS hoc loco Trociſcis Cypheos, de quibus poſtea dicendum aliquid erit, pergamus oſtendere, quo modo deſcriptio Damocratis alijs omnibus ſit præſtantior, quod patebit manifeſtè ex artificioſa eius compoſitione, & peculiariter ex proportione qua verſatur circa conſiſtentiam Antidoti. Vbi diximus, Damocratem voluiſſe partiri ea ratione liquida & arida, vt hæc conſtituerent duas tertias partes & illa vnam tertiam, nam cùm vniuerſa ſimplicia conſtent numero 48. ſedecim liquabilia accepit, nimirum, Myrrham, Crocum, Thus, Thlaſpi, Opobalſamum, Galbanum, Therebinthinam, ſuccum Hypociſtidis, Styracem, Opopanacem, Bdellium, Gummi, Meconium, Sagapenum, Acaciam, Hypericum. Triginta verò duo ad pulueriſandum apta, hæc enim ſunt reliqua omnia. Et hoc quantum ad numerum. Obſeruatur prætereà proportio ipſæ maſſæ ratione, quantum ad doſin eadem ratione. Nam cùm quantitas ſimplicium conſtet ex vncijs triginta nouem, tredecim ſunt rerum liquidarum, quæ

est tertia ipsius pars, & viginti rerum triturabilium, quæ duas tertias partes efficiunt, quemadmodum vnicuiq; rationes subducendi manifestum erit. At in hoc nō exigua sese offert difficultas, quod inter versus Damocratis quidam sit mutilus, in quo ad minimum vnum, si non simplicia desiderantur. Vnde incerti sumus quod nam aut qualia simplicia desint & an sint ex numero liquabilium aut aridorum. Veruntamen pluribus coniecturis adiutus audebo simplex illud in medium producere: initio asserens tantùm vnum esse posse & non plura quæ desiderantur simplicia, idque ex argumento satis firmo desumto ex numero simplicium, qui constat ex 47. absq; illo quod deest. Quod si pluraquàm vnū essent omissa, non tamen vltra duo esse possent, quoniam versus dimensio ea non caperet. Restat itaq; vel vnum vel duo desiderari. Quod si duo abessent, tota summa constaret ex 49. qui numerus parum conueniens esset ad illam multiplicem diuisionem, quam antea tanti momenti esse in nobilibus Antidotis diximus. Cumque numerus 48. sit aptissimus ad illas exquisitas diuisiones, existimarem absque reprænsione nos posse confidenter affirmare, in isto versu tan-

su tantùm vnum & non plura simplicia desiderari. Iam verò requiramus quod nam illud esse possit incipiendo ab vniuersalibus & paulatim progredientes ad particulare. Primùm itaque videtur procul dubio illud esse ex numero liquabilium & non aridorum. Cui rei vt assentiamur inprimis nobis persuadet Dosis necessitas. Nam cùm certum sit Damocratis consilium fuisse, massæ consistentiam ex proportione tertiæ partis liquidorum respectu ad arida voluisse constituere, si addatur simplex illud quod deperditum est ad numerum liquefactilium, proportio manet integra, quod si aridis adderetur, id sine arte fieret, quare ad conseruandam artificiosam compositionem, necesse est vt liquidum Medicamentum in isto versu restituatur. Hoc enim cùm collocetur in quinta classe, in qua singulorum 3. drachmæ accipiuntur, cùm tota quantitas simplicium constet ex drachmis trecentis & decem, demto eo quod deest, si illæ 3. drachmæ quoq; adijciantur, vniuersæ drachmæ erunt 313. quæ conficiunt vncias triginta nouem & vnam drachmã, & hæc per tertias diuidendo, restant in vnaquaque parte centum & quatuor drachmæ & scrupulus vnus, id est, vnciæ tredecim, & scrupulus

vnus, cuius tamen ſcrupuli non magna ratio quaſi exigui ponderis habetur. Vtq́ue hoc conſequamur, neceſſe eſt vt illæ tres drachmæ quæ reſtant de ſimplice deperdito ſint ex numero liquabilium, nam ſi aliter ad arida referremus, per ſingulas illorum partes tertias drachmæ centum & quinque cum dimidia, & per liquida tantùm centum & vna orirentur. Quod ſanè contra regulam proportionis fieret. Verum quidem hoc eſt, quod hac ratione nonnihil proportio quoad numeros de quo antea locuti ſumus, varietur, nam liquidorum erunt 17. & aridorũ triginta ac vnum, cùm horum debeant eſſe triginta duo, & illorum ſedecim. Attamen non poteſt planè hoc ita vni accommodari, quia nonnihil alteri decedat: quare videndum in quo maior ſit commoditas, & minor iactura, illiq́; potius attendendum. Quoniam, vt in Theriaca pluribus oſtendimus non ita exquiſitè omnes artis regulæ in hac proportione obſeruari poſſunt, quin interdum nonnihil quamuis parum ſit, deſit idq́ue ſi exigui momenti fuerit, facilè poteſt ferri. In hoc noſtro autem caſu ſe ad numerum aridorum ſimplex amiſſum adijciatur, proportio Doſium labefactabitur,

bitur, ſin ad liquidorum ſummam proportionem in numero turbabimus. Iam quærendum vtrum ex his duobus incommodis Autor huius Antidoti minus curauerit? Abſq; dubio propoſitio in doſibus maioris eſt momenti, quia omne id quod forte fortuna deeſt in numeri proportione, emendari poteſt proportione quæ in quantitate conſiſtit: Hanc itaq; ob cauſam collocemus ſimplex illud quod adhuc deeſt ad liquabilium farraginem, perſuaſi veriſimili ratione, hanc Autoris fuiſſe ſententiam. Iam verò quodnam ſimplex in iſto verſu reponi debeat difficile eſt inuentu & dictu. Conabor tamen hîc quoq; aliquid certi afferre, adiutus quam maximè fieri poteſt. Coniecturis veriſimilioribus, ea tamen conditione, ſi fortaſſe aliter ſe res haberet, ſaltem viam præberem alijs veritatem vlterius inueſtigandi. Nihil autem magis vſui eſſe poteſt nobis de hac re cogitantibus, quam regula Metrorum, cumque verſus ſint Iambici trimetri anapæſtici, & aliqua ex parte dactylici, ex ſimilitudine aliorum verſuum integrorum quibus Damocratis vtitur in deſcribendo Mithridatio hic defectus reſarciri poterit. Et quanquam hoc multa liquabilia ſimplicia

præſtare

præſtare poſſent, non tamen debemus ſtatim illud accipere quod forte fortuna primùm ſe obtulerit, ſed auxilio aliarum coniecturarũ diligẽter circumſpicere, cui nam magis veriſimiliter hic locus ſit tribuendus. Primùm itaque inueſtigandum eſt qualia ſimplicia ad celebriores Antidotos aſſumi conſueuerint, atque hic rectà ad Theriacam nos conferamus, tanquam ex Mithridatio deſumta, vt dictum eſt, & examinemus quot ibi ſint liquabilia, quæ in illo non habentur, quibus benè conſideratis, videamus poſtea quæ ex illis potiſſ. idonea ſint vt in illum locum vacuum reponantur. Reperiemus verò in Theriaca Andromachi duo ſimplicia liquabilia, quæ in Mithridatio Damocratis non aſſunt, Bitumen nimirum & ſuccum Glycyrrhizæ. Iam verſus imperfectus in Græco ita legitur:

ἀνίσου τε καὶ ἀρίου τε τ̃ *

Manifeſtum itaq; eſt ex præceptis Metrorum Iambicorum voce ἀσφάλτου, id eſt, Bituminis verſum compleri non poſſe. Sed contra integra menſura hoc præſtabit nomen γλυκυῤῥίζης, id eſt, dulcis radicis. Primus enim huius verſus pes eſt Anapeſtus, in tribus hiſce ſyllabis, ἀνίσου.

Secun-

Secundus necessariò est Iambus, quemadmodum esse debet quoque 4. & 6. in disparibus verò locis potest esse Spondeus, vel Anapestus (quanquam apud Damocratem in locis quoque paribus asʃit Anapestus & Dactylus) Secundus pes itaque est, τε καὶ ἀ. facta elisione vnius syllabæ propter vocalium duorum concursum. Sequitur tertius, σάρȣ. Iambus scilicet, quanquam integra dictio ἀσάρȣ Anapestum quoque efficiet. Quartus pes est Iambus τε ὐ. Desunt itaq; ad versus integritatem duo pedes: quos aptè dictio γλυκυῤῥίζης complebit: duos Iambos constituens. Quanquam enim litera z. syllabam apud Græcos producat: nihilominus reperitur eam esse tam suauis pronunciationis vt etiam loco liquidæ ponatur. Erit itaque integer versus ita restitutus:

ἀνίσȣ, τε καὶ ἀσάρȣ, τε ὐ, γλυκυῤῥίζης.

Lego autem cum maiore eruditorum virorũ parte ἀσάρȣ & non ἀρίȣ: de quo plura paulò inferius dicemus. Hanc quoque nostram coniecturam confirmat, quod Glycyrrhizam videamus assumi etiam ad aliorum Mithridationum compositiones, vt in illa quæ Andromacho ascribitur, vbi ab isto simplice exordium sumitur. Prætereà idem apparet in Barbarorum compositionibus,

quemad-

quemadmodum etiam Nicolai Myrepsij &
Nicolai Præpositi, & Auicennæ: contra autem nulla descriptio facit mentionem Bituminis. Quibus omnibus ita positis videtur rectè nos posse affirmare. Glycyrrhizam vnum ex istis 48. simplicibus esse: &
quanquam hæ coniecturæ & rationes non
adessent, tamen propter suam qualitatem
quoque assumenda foret: cùm non solùm
ad interna corporis mala plurima commendetur, sed etiam vtilis sit ad reprimendam acrimoniam, amaritudinem & asperitatem aliorum in hac Antidoto simplicium. Qui etiam diligenter attendat, non
inueniet in reliquis Mithridatij descriptionibus simplex aliud ex numero liquabilium
diuersum ab illis quę Damocrates exponit,
quod commodè loco amissi reponi posset. His itaq; de causis Glycyrrhizam huic
Antidoto, quæ antea inde exulauit: restituendam duximus, quæ cùm non parum
huic Antidoto vtilitatis afferat, spero me
omnibus rem gratissimam fecisse. Hanc
etiam nostram opinionem confirmat,
quòd multæ Antidoti præstantiores in 2.
libro, Gal. de Antidoto habeantur, ad
quas omnes Glycyrrhiza tanquam illis frequentissima accipitur. Huic etiam nostra
senten

ſententiæ plures doctiſsimi viri accedunt, inprimis verò ex Medicis, excellentiſsimus Protophyſicus in hoc regno Ioannes Antonius Piſanus vir clariſsimus, & ex pharmacopœis Ferdinandus Imperatus, cuius nomen & in Italia, & alibi celebre eſt.

RVRSVM PROBAtur, Damocratis deſcriptionem alijs omnibus eſſe præferendam.

CAP. VI.


VM itaque mutilatam deſcriptionē Damocratis quaſi hoc pacto ſanauerimus priſtinamq; integritatem illi reſtituerimus, facilè iam probari poteſt, hanc meritò eſſe alijs omnibus anteponendam. Quod quidem ex collatione cum alijs, (nā videbimus perſpicuè quā magnum artificium Damocrates in ſua, & contra quā exiguum vel potius nullum alij adhibuerint) euidēter apparebit. Oſtendimus autem ſuperius quanta diligentia reſpexerit Da-

rit Damocrates ad proportionum quatuor differentias, & inprimis ad eam, cuius auxilio consistentia massæ redditur durabilior. At contrà si alias descriptiones examinauerimus, & diligentius artem in ipsis quæsiuerimus, nihil firmi in qua illa inniti queat, reperire poterimus.

Vtq; incipiamus ab ea quæ Andromacho attribuitur, & à quibusdam doctis nostris temporibus Damocratea præstantior est habita, statim apparet in numeris esse eam minus idoneam, vt in mediam, vel tertiam partem, vel minutiores diuisiones partiri posimus, sine aliquo incommodo. Cùm enim simplicia vniuersa sint numero quadraginta & vnum, difficulter diuidi queunt, vt vnitas non dissipetur, quæ res valdè est inconueniens, vt suprà dictum est. Idemq; in numero clasium siue ordinum accidit, cùm descriptio prima promiscuè sine illis sit facta, consumendo iam maiorem dosin, iam minorem, & interdum priorem rursum assumendo. Quod si postea in suas classes ordinare studuerimus, (quod Syluius conatus est facere) nascetur numerus clasium satis affectatus & sine arte, vt suprà quoq; indicauimus: ad minorē enim numerum quàm sedecim, reduci non poterunt.

Pergen-

Pergentes deinde ad dosin, vnicuique manifestum fit proportionem non solùm esse confusam, sed etiam molestam propter istos obolos ad plures drachmas additas. Quæ res ineptissima est ad diuisiones, & incommodissima illi qui mediam, vel tertiã, vel aliam ipsius partem vellet tantùm parare. Nec certum pondus vniuscuiusq; classis in ea discernere possumus: sicuti nec definitum quoq; numerum, quoniam classes non arte sed casu sunt factæ. Imò qui summam totius quantitatis simplicium colligere voluerit, in eo ipso quoq; exiguam diligentiam adhibitam depræhendet. Nam vniuersæ species huius descriptionis efficiunt summam drachmarum 207. & vnum obolum, ex quibus fiunt vnciæ 26. desideratis tantùm quinque obolis, quæ ad duas libras & duas vncias, parcè tamen, reducuntur: qui numerus vnciarũ non idoneus est ad plures & varias diuisiones, sicuti vnicuiq; patet. Quantum iam ad proportionem consistentiæ, quæ maximi est momenti in hac compositione, non minor negligentia quoque sese offert. Nullam enim constat inter arida & liquida obseruatam esse proportionem, nec per quadruplum, vt in Theriaca Andromachus solitus est facere,

nec triplum, quemadmodum Damocrates in suo Mithridatio fecit, nec aliam definitam mensuram, sed ex fortuita mistione dissolubilium cum puluerisandis totam massam composuit. Quæ quidem hoc modo facta necesse est parum durare, sed aut nimis liquidam aut duram fieri. Cùm certum sit, nihil adeò Antidotum ad ipsius vsque senectutem efficax, quàm debitam cõsistentiæ proportionem conseruare: Ita enim semper sui similis permanens, & vnam eandemque quasi formam retinens, longo tempore ires suas seruat. Quando itaque Galenus ait, Theriacam durare sexaginta annos, aut triginta, (vt potius dicendum videtur) hoc intelligi vult, si modò massa habeat suam artificiosam consistentiam, cuius cùm non ita magna ratio habeatur in Antidotis, non magni momenti, nec adeò longam ætatem illis attribuimus. Iam hæc compositio, de qua nobis sermo est, tota in se continet vncias 26. parcè tamen, ex quib. 82. drachmæ, id est, vnciæ 10. & drachmæ 2. sunt dissolubilium, totum reliquum, nimirum vnciæ 16. demtis duabus drachmis, vel etiam tribus parcioribus, comprędendit arida. Hinc patet vncias 10. & drachmas 2. cum sedecim alijs nullam habere

propor-

proportionem, nec in quadruplo vel triplo vel duplo, aut alià vlla vera proportione. Idem in numeris apparet. Cùm enim ſimplicia vniuerſa ſint 47. liquidorum erunt 15.& 36.aridorum, in quibus duobus numeris nulla artificioſa proportio pariter conſiſtit. Et quanquam proportio quantitatis alteram quæ numeris ineſt adiuuare ſoleat, nihilo tamen minus hæc commoditas hîc non depræhenditur. Nam ſuccorum ſunt 82. drachmæ, Pulnerum verò 125. & vnus obolus: totumq́ue pondus complet 207.drachmas, & 1.obolum: ex quibus conſtituuntur vnciæ 25. drachmæ 5.& 1.obolus. Itemq́ue libræ duæ,vncia vna, drachmæ 5. & 1. obolus. Liquida continent vncias 10. Arida verò vncias 16. demtis 3. drachmis, idq́ue parcè. Iam proportio 10. ad 16. neque eſt dupla,nec tripla, nec quadrupla, vel alia. Quare fatendum eſt, ſaltem propter ſtabilitatem Antidoti (taceo alia) non conſultum eſſe hanc deſcriptionem accipere: cùm facilè contingere poſsit, vt intereà dum expectemus Opij fermentationem ad vſum neceſſariam, Medicamētum nimis exoletum fiat, omnesq́ue vires deperdat. Quod tamen in Damocratis

compositione, propter causas allatas, fieri nequit.

Cùm itaque ex multis rationibus satis validis pateat, Andromacho ascriptam descriptionē non solùm non parem, sed multò inferiorem esse Damocratea, adhuc facilius quoq; erit idem ostendere in Antipatri & Cleophantis compositione. Nam quanquam eam olim Autores præcipui ꝓbauerint, quemadmodum fuit Aëtius: nihilo tamen minus nostro tempore plures Andromachi descriptionem, tanquā ipsorum iudicio meliorem, quàm hanc secuti sunt. Quare hîc pluribus de ea non necesse erit agere, quandoquidem eædem difficultates, quæ in priore fuere hîc quoq; sese offerunt. Primùm enim nulla numerorū obseruata est proportio, neq; in classibus singulis, nec in toto composito, non enim distincta est in certos ordines, sed, vt in altera, confusè omnia simplicia ponuntur: quæ cùm sint vniuersa 51. parum idonea sunt, vt in plures partes separentur: tametsi Aëtij descriptio complectatur 50. simplicia: propterea q; nonnihil sit tolerabilior. Atquò ad dosin, hîc quoque apparent illæ molestæ appendices obolorum ad drachmas quasi in singulis simplicibus: quare neque in duplicando

plicando nec per medium diuidendo commodum pondus constitui potuit: vtq; singilatim rem perpendamus, cùm simplicium numerus sit 51.15. dissolubilium, & eorum quæ in puluerem rediguntur 36. manifestum est inter hos duos numeros nullam esse proportionem. Idemque in pondere contingit: Nam quantitas vniuersa est drachmarum 246. & 2. obolorum: ex quib. conficiũtur vnciæ tres, sex drachmæ & duo oboli: liquidorum sunt drachmæ sexaginta, id est, vnciæ octo & drachmæ sex, puluerum drachmæ 166. & 1. obolus, hoc est, vnciæ 22. & 1. obolus. Iam vide quod vera & solida proportio nulla sit inter vncias nouẽ, demtis 2. drachmis, cum viginti duabus, cùm neque tripla, neque quadrupla, nec dupla aut alia esse queat.

Hîc etiam aliquid addendum de Pauli Aegynetæ quadam descriptione, in qua etsi quò ad numerum nonnulla desiderantur, in Dosi tamen minimè errare videtur, & propterea non planè expers artis est. Vnde fortè tutius hac vti, si Damocratea non arrideret, quàm vlla alia possemus. Quantum enim ad numerum, cùm contineat 42. simplicia, non quidem ita ad diuidendum apta est, nec solidam efficit proportionem

numeri inter liquabilia & arida: cùm horum ſint 30. & illorum 12. inter quos duos numeros proportio in Antidotis manifeſta & idonea nulla apparet. At quod hîc deeſt emendatur in quantitate. Nam cùm vniuerſum pondus conſtet ex 236. drachmis, id eſt, vncijs nouem cum dimidia, liquidorum ſunt 61. drachmæ, id eſt, vnciæ ſeptem & 5. drachmæ, Aridorum verò 175. drachmæ, id eſt, viginti vnciæ demta vna drachma, qui duo numeri, ſi iam inter ſeſe conferantur: apparet quo pacto proportio conſiſtentiæ accedat ferè ad triplam, & proximè attingat ad artem quam vſus eſt Damocrates. Prætereà ſi claſſes quoque velimus conſiderare, non minus in ea re etiam accuratum ſtudium patebit: Cùm enim quinque claſſes conſtituerit, quarum prima habet 30. drachmas, ſecunda 60. tertia 128. quarta 12. quinta 6. omnes numeri iſti conſpiciuntur eſſe ſolidi, & ſine exiguis appendicibus. Vnde fatendum eſt, hanc Pauli deſcriptionem quidem alijs eſſe perfectiorem: ſed non tamen Damocrateæ parem: cùm nonnulla artis præcepta in ea minus accuratè obſeruentur, quemadmodum vtramque inter ſe conferenti manifeſtum erit.

erit. De alijs duabus descriptionibus vtriusque Nicolai, & Auicennæ, non opus esse puto multa in medium proferre, quoniam & propter numerum simplicium inconditæ, & ob artis negligentiam imperfectæ sunt, & plurimum abesse à prima cõpositione inuenta, vel ab ipso Rege Mithridate, vel alio quopiam suo Medico descripta videntur. Satis itaque sit nos hactenus probasse Damocratis tanquam artificiosiorem alijs omnibus meritò anteponendam esse.

QVA RATIONE INuestiganda sit in Mithridatio aridarum cum Melle proportio.

CAP. VII.

INTER alia quæ in Mithridatij compositione tractanda sunt, sese offert consideratio, de proportione inter arida cũ melle: cùm in hoc nonnihil à Theriaca differat: atq; ideò ad priorem disputationem omninò lectorẽ remittere

nequeamus. Vtilis autem hæc tractatio est propter duas causas: quarum prima versatur circa massæ consistentiam, altera in præcipua vi & efficacitate totius Antidoti: estque hæc posterior certè magni momenti, quo diriguntur omnes fermè de compositione considerationes, quanquã nec prior quoque sit negligenda. Proposui autem suprà ad hoc negotium explicandum tria esse necessaria: quorum priora duo massam ipsam respiciunt: primum est proportio Aridorum cum liquidis, alterum verò tractatio de melle: Tertium autem considerat vires, siue (vt ita dicam) gradus efficacitatis in Antidoto. De primo superius dictum est. Restat vt hîc de secundo & tertio, idq; quasi coniunctim loquamur.

Secundum itaque erat, proportio mellis cum omnibus illis simplicibus, quæ tam ad dissoluendum quàm terendũ idonea sunt: vbi quærendum est, quantum ad Mithridatium mellis sit accipiendum: nam inde duo alia consequimur, primum vt consistentia mediocris, & per longum tempus durabilis hoc modo inueniatur, alterum verò, ne Antidotus fiat nimis valida, si multum scilicet specierum & parum mellis assumeretur, aut contra nimis debilis, si multum

mellis

mellis respectu specierũ acciperetur: quod ad secundum caput refertur. Principio autem sciendum est, si velimus eam rationem disputandi de his sequi, quam in priori libro de Theriaca obseruauimus, quod dissolubilia in hac compositione non numerentur inter species, sed quasi neutrius partis erunt, secundum vtramuis considerationem collata, ad massam mellis informãdam. Et hinc in Theriaca oriebantur duo compositionis modi: quorum vnus accipiebat quatuor vncias specierum ad vnamquamque libram mellis, idque quando liquabilia ad neutram partem referebãtur: alter verò sumebat vncias tres aridorum ad quamlibet mellis librã, quod vsu veniebat quando liquida ad eum finem vt mellis augeretur moles, assumerentur.

Nec etiam hîc Vini mentio penitus prætereunda est, quo etiam ipso, dum liquida dissoluit, eorum auget quantitatem: & conferentes Theriacæ & Mithridatij liquabilia, reperiemus hac in parte, æquale esse eorum pondus in vtroque, nimirum 13. vnciarum pondus, solumque in hoc differunt, quòd istæ 13. vnciæ in Theriaca quartam omnium simplicium partem, (loquendo de pondere) & in Mithridatio tantummodò

tertiam conficiant. At cùm Vini non ſit alius vſus quàm vt liquabilia diſſoluat, videtur poſſe affirmari, eandem eius tam in Mithridatio quàm Theriaca accipiendam eſſe quantitatem, quæ erit duorum ſextariorum, id eſt, 40. vnciarum, vnde in tota maſſa hucuſque in duabus rebus idem pondus in vtraque Antidoto habemus, nimirum 13. vncias diſſolubilium, & 40. vncias Vini, differentiaque ponderis ſolum conſiſtet in pulueribus. Cumque nos pondus Mellis ex aridorum pondere definire debeamus, ſi proportionem vtriuſque in Theriaca perſpexerimus, & eius exemplo pariter hæc duo in Mithridatio quæſiuerimus, facilè illa nobis ſeſe offeret. Nam cùm in Theriaca ſiccarum ſpecierum ſint 40. vnciæ, & propterea Mellis decem libræ, manifeſtò apparet hoc pacto pro ſingulis libris Mellis poni aridorum vncias quatuor, duas drachmas, & vnum ſcrupulum boni ponderis. Iam ſi hac ratione pondus Mellis apponere voluerimus ad 26. vncias earum rerum, quæ teri debent in Mithridatio, accipiendæ illius erunt libræ ſex & paulò minus quàm ſunt duæ vnciæ, immò paulò plus quàm 2. vnciæ: nam ad aridorum vncias 26. adiungi-

iungitur insuper drachma vna cum dimidia (quanquam nos de istis minutis rebus non ita solicitè disputemus,) & hoc pacto poterimus Mithridatio debitam cōsistentiam tribuere. At cùm ad totam massam quoque accipiantur liquabilia vnà cum Vino, necesse est vt ea quoque perpendamus, diligenterq; consideremus Damocratis fuisse consilium, eam ita conficere, vt ad singulas libras mellis ponerentur aridorum quatuor vnciæ aut paulò plures. Facilè autem potuit accidere, vt quemadmodum Damocrates in proportione aridorum & liquidorum discrepat nonnihil ab Andromacho, (nam ille collocat liquida in tripla, Andromachus verò in quadrupla proportione) ita quoque ab eo differret in hoc altero: de quo diligentius explicabimus omnia. Diximus autem antea dupliciter hæc considerari, vt succi aut neutrius partis esse censeantur, aut verò ad quantitatem Mellis referuntur. Primo modo distinguētur, vel secūdum communem regulā omnium Antidotorū, accipiendo pro vnaquaq; libra specierum vncias tres, vel ad similitudinem Theriacæ ponamus ad quamlibet libram Mellis quatuor vncias aut paulò plures specierum.

Hoc

Hoc posterius iam est declaratum, nec prius inuentu difficilè erit. Nam si voluerimus vncias 26. & drachmam 1. cum dimidia partiri per tres vncias, constituentur partes octo & duæ tertiæ, ad quas requirentur totidem Mellis libræ, libræ nimirum nouem cum tertia parte, idque eò magis considerandum, quò plus momenti affert sesquidrachma ista. Et hæc quòad primum modum. At si voluerimus iuxta alterum modũ Mel addere toti massæ, primum opus est, (quemadmodum in Theriacæ tractatione conclusimus) vt simul omnia liquida accipientes consideremus postea, quale inde pondus resultet, postea quoque arida adiũgamus. Sunt autem liquabilium in Mithridatio vnciæ 13. Vini ad dissoluendum vnciæ 40. Mellis circiter libræ sex & duæ vnciæ, (ponendo vncias 4. & duas drachmas specierum ad singulas Mellis libras, absque alijs liquidis, quemadmodum in Theriaca diximus) quæ omnia efficiunt vncias 74. quæ prioribus additæ ascendunt vniuersa ad vncias 127. ex quibus omnibus constituuntur libræ decem & vnciæ septem. Ad hãc proportionem ita per se consideratam inter Mel & species in Theriaca, quæ ascendit ad quatuor vncias & duas drachmas pro libra

libra Mellis, si adiungatur postea altera, id est, omnia simul liquida, & conferantur cū aridis, tandem reperientur ad singulas libras liquidorum inesse tres vnciæ specierū. Ergo quemadmodum antea pro vnaquaque libra Mellis tantùm quatuor vnciæ specierum & duæ drachmæ inuentæ sunt, ita nunc quoque agentes, inuenta quantitate Mellis considerata secundum istam primam proportionem Theriacæ, examinemus postea vniuersam massam liquidorum cum aridis, & videamus quæ inde proportio nascatur, idque ad exemplum Theriacæ, cùm difficilè sit, definire quantitatem Mellis in Mithridatio in ea non aliter expressam, quàm per illam formam loquendi, quantum satis est: quod in Theriaca non factum est. Nam Andromachus iunior quantitatem illius decem libris definiuit, senior verò hoc arbitrio artificis quoque commisit. Vt igitur hanc disputationem de secundo modo finiamus, dicimus, cùm liquabilia decem efficiant, & vncias septē, & vniuersa triturabilia constituant vncias 26. ad vnamquamque libram Mellis pertinere aridorum vncias duas, & paulò minus quàm dimidiam, & integram massam (addendo 26. vncias specierum) librarum esse

12. &

12.& vnciarum 9. Et si exquisitè constituere velimus pondus, respicientes quoque ad exhalationem totius massæ, neque recedentes ab illis regulis, quas in Theriaca constituimus, cùm potissimum Vinum transpiret, & propterea illius triplum accipiatur, vt facta exhalatione remaneat tertia pars, quæ necessaria scilicet erat: sequitur cum Vini restet circiter vna libra & dimidia, idque post factam fermentationé, tota massa continebit circiter libras vndecim excepta vna vncia. Vbi in memoriam nobis reuocare debemus, quod antea retulimus, quo pacto ex continua experientia Ferdinandi Imperati succi possint artificiosè cum æquali pondere Vini dissolui, quod ad ipsorum debitum pondus sit conueniens, & quòd insuper de illo additur secundum verisimilem coniecturã propter euaporationem nimirum quæ contingit interea dum ad perfectam fermentationem reducitur, & ita poterimus nos secundo modo proposito ad reperiendam proportionem specierum cum Melle vti, intelligentes sub nomine Mellis quicquid eius officium implere potest Ex quibus iam apparet quo modo in Mithridatio non resultet ordinaria illa, & recepta ab omnibus propor-

proportio ſpecierum in vncijs tribus ad libram Mellis, quemadmodum in Theriaca, (quanquam in hac Antidoto, eandem regulam cum ea quam in priore libro propoſuimus, hîc quoq; ſecuti ſimus,) nimirum primum aſſumentes proportionē rerū aridarum & Mellis (intelligendo iam Mel ipſum tanquam rem ſimplicem, & non adiungentes eius appellationi liquida) quæ erat vnciarum quatuor, & duarum drachmarum exuperantis ponderis pro vnaquaque libra Mellis puri. Deinde progredientes ad alteram, quæ eſt inter ſpecies & Mel, prout hoc cum liquidis commiſcetur: vbi in Theriaca certa doſis conſpicitur. Sed hîc ſumentes quadruplum Mellis reſpectu rerum triturabilium, quæ conficient tres vncias pro ſingulis libris, illa in Mithridatio non reperitur, nā quanquam initio poſuerimus quatuor vncias: & duas drachmas aridorum pro libra vnaquaque Mellis, vt in propria ſignificatione accipitur, poſtea tamen iuxta alterum modum vnà cum miſtione omnium diſſolubilium acceptum, non apparent tres vnciæ rerum ſiccarum pro qualibet libra liquidorum, ſed tantùm duæ cum dimidia idque parçè, ſicuti dictum eſt.

Quare

Quare hanc totam quoque disputationem instituimus, non affirmandi aliquid certi sit ostendendi potius gratia modum & rationem, quo pacto proportio aridorũ cum liquidis sit inuestiganda, qualẽ fortasse Damocrates in excogitanda hac compositione sibi proposuit: & propterea locuti sumus de duobus istis modis, quos in Theriaca amplexi sumus, non quod eadem planè Damocrati in Mithridatio quoque in mentem venerint, sed vt hac ratione diuersitas compositionis in vtraque Antidoto melius perspiceretur: variusque modus & artificium componendi considideraretur. Quid verò de hac re disertè sit statuendum, copiosè iam differemus.



VERVS ET PROprius modus, quo Damocrates proportionem inuenerit, inter Species & Mel: in quo loco certi aliquid definitur de Mellis Dosi, & de Vino in Mithridatio.

CAP. VIII.

NON consentit Andromachus in sua Theriaca circa artificium consistentiæ cum Damocratis Mithridatio: cuius rei credendum est ipsum Andromachum esse autorem. Hic enim vt posterior altero desumsit ex Mithridatij compositione, omne id, quod illi vsui fore existimauit, mutauitq; ea, quæ in melius mutanda esse putauit, tanquam artifex singularis in componendis Medicamentis, quare neque nos artificium in Mithridatij cõsistentia proponenda penitus ex Theriaca inuestigare possumus. Attamen monstranda est

da est ea via, qua vsus est hac in re Damocrates, & indicandum quam ob causam Andromachus potius vsus sit proportione quadrupla quàm tripla. Cùm autem certi non simus Damocratis descriptionem Andromacho fuisse cognitam, videri posset hanc inquisitionem potius curiosam & superfluam quàm necessariam esse, immò verisimilius est descriptionem ad eius manus non peruenisse, quoniam Galenus in secundo libro de Antidot. in principio recenset multas compositiones ex libro Andromachi, & inter alias duas Mithridaticas inter sese diuersas, & seorsim addit postea Damocratis descriptionem tanquam nullo modo ex Andromachi libris desumtam, vnde quasi certò nos affirmare possumus, Andromachum Damocratis descriptionem non vidisse. Vnde his omissis consilium Damocratis studeamus explicare: primùm quasdam theses proponētes, postea verò ipsam demonstrationem.

Prima autem erit propositio, Damocratis fuisse consilium vniuersam massam Mithridatij conficere ex decem libris. Secūda: proprium fuisse eius scopū, eam ꝓportionem rerum terendarū cum Melle debere esse,

esse, vt ad vnā quamq; Mellis libram acciperentur specierū 3. vnciæ. Tertia: Mithridatium esse efficacius quàm Theriacam, excepto Opio, id est, facultate ista narcotica. De his tribus perspicuè disseramus, modò prius breuiter vsum earum rerum, quæ in Antidotum assumuntur, repetamus.

Initiò itaq; sciendū, quo modo succi, lacrymæ, gummi ac similia dupliciter considerentur, primū propter perfectionē massæ in cōposito: nā propter tenacitatē & viscidĭtatē eorū, non solùm non facilè euaporant, sed etiā impediūt exhalationē specierum, & propterea reddunt Antidotū durabiliorem. Secundò, propter suam propriam virtutem & qualitatem augent & stabiliunt Antidoti præstantiā. Et hæc quò ad liquabilia. Vinū aūt diximus vsurpari ad dissoluendos succos, gūmi, & similia, q̄ per se nō facilè terunt in puluerē, & vbi proportio succorū maior est quàm aridorū. Pauciore quoq; Vino opus est, nā sicca puluerisata, & ipsi non parū Vini insumunt, & faciunt, vt si non propter ipsa sumatur nōnihil illud copiosius, succi non benè dissoluantur: atq; eam ob causam non æquabiliter per totam massam distribuantur, sed grumis refertam reddant cōpositionem: quod maximè

culpatur in celebribus Antidotis. Hinc possumus minorem quantitatem Vini in Mithridatio præscribere, quia dissolubilia assunt in maiore quantitate, cùm respectu aridorum tertia pars eorum accipiatur, q̃ in Theriaca, vbi tantùm quarta sumitur. Nam Andromachus accipiens in Theriaca 13. vncias liquabilium, specierum puluerisatarũ adijcit 40. vncias: quare triplum & paulò plus eorum additum est, atque ideò coactus fuit 40. vncias Vini illis adiungere, nõ solùm enim respexit quantum requireretur illius ad terendos succos, & insuper quantum inter fermentandum posset exhalare: sed etiam species siccæ absorberent: de quo in priore commentario Theriacæ dictum est. Hoc cùm ad eum modum in Theriaca obseruatum sit, necesse est vt in Mithridatio, vbi quidem accipiũtur 13. vnciæ, sed cùm 26. & non pluribus vncijs aridorum, minus Vini adijciamus: quia minus illius absorbetur, quoniam aridorum propemodum quantum dimidia pars insuper est in Theriaca, plus est quàm in Mithridatio. Iam si triplum in Theriaca accipitur, vix duplum in Mithridatio sumi potest.

In qua parte notandum quoque hoc est, quòd

quòd ſua natura liquabilia reſpectu Mellis eò diutius perſeuerent in propria conſiſtētia, quantò minus affuerit eorum quæ exiccare ea poſſunt, & adiunctis ſuccis conſiſtétiæ Mellis, illius debitam craſsitiem diu conſeruabunt, quia ſimul cum Melle conſtituunt proportionem in vniuerſo compoſito multò maiorē quàm faciant arida. Mellis verò vſus eſt, vt omnes ſpecies & ſuccos in vnum corpus redigat, & diu eorum vires contineat, ne euaneſcant aut planè inueteraſcant, idque varia ratione pro natura diuerſorum ſimplicium. Nam ſicca Mel conſeruat in ſua tranſmutatione propter naturam totius compoſitionis, idque auxilio fermentationis, quæ quidem inprimis opera huius perficitur, & abſque eo fieri nequit, efficitque vt illi atomi redditi per trituram ſubtiliſsimi, poſtea quaſi continui in tota maſſa cohæreant, auferens illis ſuam naturalem ſubtilitatem. Continentur prætereà Melle res diſſolutæ in ſua naturali craſsitie, nec permittit eas redire ad priorem nimis duram & ſolidam conſiſtentiam, vel fieri liquidiora quàm par eſt, ſed in ſua mediocritate conſeruantur: cùm tamē hoc pacto vires ſuas Antidoto non minus quoque communicent: & ita liquidior in

forma gummi & ſimiles ſucci coagmentati, caloris natiui in compoſito per vim fermentationis acquiſiti participes fiunt. Qui calor ſemper vſque ad Antidoti debitam ætatem viuidus perdurat: modò recta ſit compoſitionis ratio adhibita. Cumque Mel (vt diximus) in cauſa ſit fermentationis, etiam calorem iſtum introducit, quo diſſolubilia ſemper in mediocri conſiſtentia conſeruentur. Hinc etiam manifeſtum fit, liquabilia in cauſa eſſe, vt Mellis quantitas creſcat, eademque quoque loco materiæ ſubiectæ inſeruire ad recipiendas, incorporandas, & conſeruandas ſpecies ſiccas.

His ita expoſitis, reſtat vt conſideremus arida quoque. Nam ex his, & diſſolubilibus Vino ac Melle tota noſtra Antidotus conficitur. Sunt autem ea quæ terimus, quaſi baſis totius maſſæ. Dico autem ipſius maſſæ, nam baſis compoſiti, quantum ad ipſius facultatem, non minus ex liquidis quàm ex ſiccis conſtat, vtraque enim ſint efficacia, ſed quia arida poſſunt in ſubtiliſsimum puluerem redigi, quod multum facit ad compoſiti fermentationem, & diſtributionē per totum corpus humanū Antidoti aſſumti, propterea maior copia

pia quoq; earum rerum ex quibus compositum efficitur, de illis sumuntur. Et quanquam sua natura sicca sint, tamen adhuc maiorem ariditatem consequuntur propter longius tempus quod ab eorum collectione effluxit (loquor autem de radicibus, aut fructib., aut alijs siccis partib. plãtarum, quæ vt plurimum Antidotis admiscentur) cùm sint magna ex parte peregrina, & ex varijs ac remotißimis locis allata. Hæc verò ariditas non potest neque debet sua natura inesse composito: nam paulò postquam Medicamentum aliquod aridum contusum est, amittit suam virtutem omnem, vel saltem magna ex parte: vt hoc modo ad vsum Medicum non multùm conferre poßit, quoniam solum ipsius corpus relinquitur, & spiritus efficax planè cadaueris instar exhalat: cui rei vt prospiceretur, humida cum siccis fuere commista (loquor autem hoc loco non de humiditate & ariditate, quæ potentia, sed quæ actu adest) vt ipsorum natura conseruaretur.

Hinc colligitur etiam quòd arida puluerisata non diu poßint efficacia & valida asseruari. Quod considerantes Medici prohibent vsum puluerum eorum, quæ ad

electuaria tam grata quàm ingrata assumũtur post sex mensium tempus:& si quos diutius asseruare velint,inuoluunt Melle aut Sacchāro: horum enim visciditas impedit eorum exhalationem : quoniam verò Mel facilius suam Naturam æqualem & similem retinet quàm Saccharum, quod breui tempore ex liquido fit solidum : atque propterea non ita diu specierum naturam conseruare potest, solet etiam quam Saccharum esse conuenientius. Opus igitur est, vt humida addantur aridis propter sui conseruationem,& vt humectata melius in composito possint cum alijs in vnum corpus reduci, quia hac ratione per omnes partes etiã minimas totius massæ distribuunt:& vnam quasi animam corpusque idem secundum autoris consilium constituunt.

Breuiter itaque quæ dicta sunt repetentes ad vnamquamque laudabilem Antidoti compositionẽ dicimus requiri hæc quatuor.Primum simplicia arida & triturabilia,quæ efficiunt basim totius massæ, & sua subtilitate per omnes ipsius partes transcurrunt. Secundò dissolubilia quæ sua visciditate impediunt transpirationem specierum , & aridorum nimiam siccitatem contemperãt.Tertiò Vinum quod in causa est,vt

est, vt Gummi & similia facilè dissolui possint, quæ per se vel alterius instrumenti auxilio non ita commodè comminui potuissent. An verò Vinum ad Mithridatium accipi debeat nec ne, paulò post seorsim exponemus. Quartò, Mel, quod omnes species conseruat quocunque modo tritas, & excitat calorem naturalem Antidoti, cuius opera quasi compositi vita sustentatur, & fermentatio perficitur.

His quatuor ita expositis, & considerato vniuscuiusque vsu, facilè propositiones allatas explicare poterimus. Quarum prima fuit: cùm Damocrates voluerit Mithridatij massam constare decem libris, ante omnia erit dosis Mellis definienda: quoniam ipse autor eam non disertè posuit, sed iubet tantum accipi, quantum satis esse videatur ad incorporanda alia omnia. Quo loco duo vt id assequamur, occurrunt modi, vnus minimè artificiosus, sed admodum vulgaris, quem in nonnullis compositionibus, quæ quidem non magni momenti, nec diutius conseruandæ essent: Arabes & recentiorum quoque nonnulli vsurparunt. Solent autem omnia tam arida quàm dissolubilia ponderare, & respe-

ctu illius totius ponderis proportionem Mellis constituunt: hi quidem in quadrupla, secundum regulam primi Philonij, & Diamusci dulcis Mesuæ: alij verò in tripla, quemadmodum facit Valerius Cordus, qui explicans in electuarijs Mesuæ & aliorum probatorum autorum hanc loquendi formam, (quantum satis est) iubet vt in vnaquaque compositione sumamus illius triplum, siue illa sit opiata, siue amara seu grata. Sed tales plurimùm errãt. Nam qui quadruplum accipiunt, debitam dosin specierum liquidarum & aridarum in Theriaca Andromachi non aliter obseruare possunt, quàm vt 19. libras aut paulò minus Mellis adijciant, quemadmodum in commentario superiori dictum fuit. Qui verò triplum assumunt, coguntur illius 14. addere: sic Valerius Cordus cuius descriptio nonnihil à nostra diuersa est, accipit libras 14. & 3. vncias. Sed tam hi quàm illi in errore versantur. Nam Andromachus iunior iam antea definiuit Mellis quantitatem esse debere decem libras: quod isti suis falsis regulis innixi non obseruarunt.

Hoc igitur primo modo repudiato, altero magis artificioso vtamur. In quo ad plura

plura respicitur: Cùm enim dictum sit, liquabilia in causa esse vt Mellis quoq; quantitas crescat, & huius quasi officio fungi, id perpendens autor compositionis, vbi animaduertit adesse maiorem quantitatem liquidorum, ibi minorem Mellis copiam adiecit. Vnde necessariò sequitur in Mithridatio eo minorem Mellis quantitatem respectu Theriacæ esse adijciendum, quanto in maiore proportione assumuntur liquabilia, quò ad proportionẽ vniuersi, quàm in Theriaca fieri solet: cùm in Mithridatio impleant partem tertiam, in Theriaca verò solum quartam. Præterea & hoc cõsideratur, cùm arida in Theriaca sint in maiore proportione, eadẽ quantitas dissolubiliũ requirit maiorẽ copiam Vini, nã non solùm illius tantum assumi debet quãtum satis est ad ea dissoluenda, sed etiam quantum exiccari & exhalari potest respectu aridorum propter validum calorem fermentationis & aëris quoque ambientis. At in Mithridatio duas ob causas Vini minus affundi oportuerat: quarum vna est, quia minor adest aridorum quantitas, altera verò, quia omnes species tam siccæ quàm liquidæ minus ponderant. Nam Theriaca continet vncias 56.

&

& Mithridatium 39. Et quanquam in vtroque pariter accipiantur 13. vnciæ liquidorum, & propterea primo intuitu appareat Vinum ad vtrũque in æquali quantitate esse addendum, (quandoquidẽ huius actio non est alia quàm vt dissoluat liquida, & tãtum illius vsurpatur quantum satis est, vt ea in mediocrem crassitiem redigantur) sed nihilominus diuersa est dosis. Nam in Theriaca ostendimus triplum illius accipiendũ, vt satis sit ad dissoluendos succos, & hoc ideò fit, quia id consumitur, & multum eius exhalat: at quò minus illud imbibitur, eò parciús quoque est de illo accipiendum, quod quidem in Mithridatio accidit, idque propter maiorem liquidorum proportionem, & minorem Vini quantitatem, quæ ad dimidium illius quod Theriacam recipit non ascendit: quia iam sæpè dictum est, æquale pondus Vini satis esse ad succos dissoluendos, quare illius 13. vnciæ sufficere poterunt, totidem enim quoque sunt succorum: quod verò superest adhuc illius refertur ad id, quod transpirat & imbibitur. Idque confirmatur experiẽtia crebra Ferdinandi Imperati, qui 20. vnciarum Vini pondere, quoties hanc Antidotum præparauit, semper id quo dicitur (quantũ opus

opus est)compleuit. Tantopere autē quidam celebres autores Mithridatij consistentiæ, quæ requiritur in rebus liquabilibus tribuerunt, vt etiam disertè prohibuerint Vinum in hanc compositionem adijci, quemadmodum patet ex descriptione, quę refertur ad Antipatrum & Cleophantem. Quam verò rectè id factum sit, copiosius paulò post dicemus.

Nunc redeuntes ad disputationem de Melle, tam ratione quàm experientia comprobabimus, (quibus duobus cruribus ars Medica innititur) sex libras accipiendas esse. Experientia quidem, cùm hęc illius quātitas tanquam idonea sæpius ab Imperato feliciter ad laudabilem Antidoti compositionem fuerit vsu comprobata: quæ vt ab optimo artifice ostensa satis esse posset, ne vlteriorem insuper rationem desideraremus. Sed vt illis, qui hanc expetunt, quoq; satis fiat, eam quoque adiungamus. Poterit autem desumi ex illis, quæ iam allata sunt. Nam si in Theriaca, in qua aridorum sunt 43. vnciæ, Mellis accipiantur libræ decem, in Mithridatio vbi non plures quàm 26. aridorum sunt vnciæ, assumendæ erunt sex libræ & octo vnciæ. Sed vlterius considerandum est, quòd liquabilia in Mithridatio

sunt

sunt in maiore quantitate posita totū Medicamentum considerantes, idque ratione Mellis: quare eo in minore copia addi debebat, quo magis ab his ipsius facultas adiuuatur. In quo plus respicitur proportio tripla quàm quadrupla: quæ varietas potest auferri ablatione 8. vnciarum, quæ sex libris additæ erant: & ita exquisitè remanebunt libræ sex. Quod adhuc certius potest confirmari, si vniuersorum liquidorum, scilicet, succorum, Vini & Mellis pondus simul sumatur, id erit librarum octo & vnciarum nouem, id est, librarum nouem, demto vno quadrante: Nam Mellis sunt libræ 6. Vini vna, & octo vnciæ, succorum libra vna & vncia vna, quibus si ex altera parte adijciatur quantitas rerum terendarum, reperiemus, quo pacto ex 26. vncijs aridorum singulæ ternæ pro vnaquaque libra Mellis assumantur. Quæ proportio ab omnibus probatis autoribus est vsurpata, Mel in quadruplo accipientibus: intellexerunt autem sub nomine Mellis quicquid vnà cum ipsis speciebus adiungitur. Hæcque proportio, quamuis diuersa ratione, in Theriaca quoque reperta est: vnde verisimile est Damocratem ad eam respicientem reliquisse quantitatem Mellis & Vini ar-

ni arbitrio industrij artificis.

Quod si quis insuper examinare voluerit, quæ proportio sit Mellis solum cum puluerisatis, reperiet quod horum quatuor vnciæ & duæ drachmæ cum dimidia, pro eius vnaquaque libra accipiantur, quod etiam pariter in Theriaca fieri constat. Inde vnicuique manifestum est, celebres Antidotorum inuentores istis temporibus semper tenuisse artem ipsam ante oculos, & ita nulli dubium esse potest duas quæstiones à nobis superius propositas esse satis dilucidè explicatas. Quas quidem cum alijs descriptionibus Mithridatij, & inprimis Andromachi, si quis conferre voluerit, minimè esse illas obseruatas, vnicuique facilè patebit, & ideò Damocratis compositio meritò alijs erit præferenda.

MITHRI-



MITHRIDATIVM esse validius quàm Theriacam, de Opij proportione, & vario consistentiæ modo.

CAP. IX.



Ertivm fuit, quod conclusimus, Mithridatium esse efficacius in suis actionib. quàm Theriacam: quod adhuc demonstrandum restat. Idque sine longis verborum ambagibus expediamus. Nam cùm succi, gummi, & reliqua dissolubilia, non solùm asint vt reddant massam Mellis maiorem: sed multò magis, imò potissimum ob hanc causam assumantur, vt suas vires Antidoto vniuersæ cōmunicent, compositumq; à duobus simpliciū generibus, vim & efficacitatem suā acquirat, aridis nimirum, & illis quæ dissolui solent, semperq; in vtraq; Antidoto retineatur eadē proportio inter illa, quæ in puluerē trita sunt, & ipsum Mel (intelligendo sub Mellis nomine quoq; dissolubilia,) sequit, ꝙ vbi maior est quantitas earū rerum quæ dissolui

dissolui solent, ibidem etiam esse validiores vires. Quod vt melius explicetur, sciēdum, si Mel simplex potest in corpus redigi per additionem eorum quæ teruntur, in ꝓportione legitima, vt adhibeantur ad vnamquamq; librā mellis vnciæ tres specierū, & tam antea quàm nūc à nobis comprobatū sit, in Antidoto hac nullum esse illius alium notatu dignum vsum, nisi vt pro subiecta materia inseruiat, quæ recipit & incorporat arida: necesse est inde sequi vim & efficacitatem compositi in nullo alio, nisi in rebus siccis & tritis consistere. Sed iam ponamus, nos non cogitare pro materia vti ipso Melle, sed tantum Gummi & succis dissolutis, & in eadem proportione accipiamus pro qualibet libra liquidorum pariter tres vncias specierum. Patebit hanc alteram compositionem multò fieri validiorem, quia compositum non solùm efficax redditur propter vires specierum siccarum, sed etiam propter liquida. At cùm iam simul commistæ fuerint species, Mel & succi, tantò plus vel minus virtutis habebit compositum, quantò parcius vel copiosius accipiatur de dissolubilibus: cumque vtrumque, tam Theriaca quàm Mithrida-

trum ex eiuſmodi commiſtione cõpoſitũ ſit, igitur quòd in ſe continuerit maiorem ꝓportionẽ liquidorum, erit quoq; altero validius: & tale nos oſtẽdemus eſſe Mithridatium, nam in eo diſſolubilia tertiam partem omnium ſimplicium quæ accipiuntur conſtituunt, in Theriaca verò ſolummodò quartam: proportio autem aridorum in vtroq; par eſt. Erit itaq; hoc modo Mithridatium Theriaca validius.

Notandum tamen eſt, quanquàm hæc regula in hiſce duab. Antidotis vera eſſe depræhendatur, non tamen in omnibus alijs compoſitis Medicamentis habebit locum. Nam poteſt fieri, vt arida in vna compoſitione multo quàm in alia ſint præſtantiora & efficaciora, & liquida ſint in illa altera ſimiliter debiliora, vt pauca illa prioris compoſiti in gradibus ſuperent plura in poſteriore: ideoque tanquam generalis regula in omnibus, hæc non eſt conſtituenda: ſed vbi fermè ſimilia Medicamenta cõferuntur, quemadmodum in his duab. Antidotis fit, facilè fieri poterit. Quod quidem adhuc magis perſpicuum fiet vnicuique, qui ſingilatim ſimplicia omnia in vtroque diligenter examinare, & videre, quæ
in

in alterutro desint,& à quibus vnum ab altero superetur, voluerit.

At quid dicamus de Opio maximi momenti simplice in vtraque compositione? Nam procul dubio proportio ipsius minor est in Mithridatio quàm in Theriaca, nam ad hoc quinque eius drachmæ assumuntur, quæ in minores partes diuisæ conficiunt quindecim scrupulos, & triginta obolos, & sexaginta semiobolos, & trecenta grana. Quòd si quinque istas drachmas abstulerimus, tota Mithridatica compositio continebit vncias 38. & drachmas 3. quæ constituunt 307. drachmas. Iam conferendo 300. grana Opij cum 307. drachmis simplicium aliorum, pro qualibet drachma eorum accedet granum vnum Opij idq; admodum parcè: quod tamen cõpensatur, si pondus Opij liberalius addatur, secũdũ Damocratis præceptũ, quemadmodũ etiam in alijs vniuersis simplicib. quartę clasis, in qua Opiũ collocatur, fieri videmus. Itaq; ꝓ qualibet drachma aliorum accipitur 1. granum Opij, & pro qualibet vncia, 8. grana, & pro singulis libris 96. grana, id est, drachma vna cum dimidia & sex granis; absque Mellis & Vini adiectione. Quod si Opij

proportionem consideremus ratione totius massæ in Mithridatio (quod quidẽ magis necessarium est docere, vt sciamus quãtum Opij in vnaquaq; dosi huius Antidoti sumatur, loquendo iam de massa fermentata 10. librarum, & non 11. ante fermentationem) diuisis 5. drachmis Opij in 10. libras massæ, pro vnaquaque libra in Antidoto dimidia drachma Opij erit ponenda, & pro singulis vncijs duo grana & dimidium, pro vnaquaque drachma quarta pars vnius grani, & decima sexta insuper pars, & ita apparebit Opium respectu totius massæ decem librarum, id est, 120. vnciarum, & 960. drachmarum continere partem centesimam nonagesimam secundam.

His ita expositis videamus rursum quæ proportio sit Opij in Theriaca, & ita tandẽ manifestum nobis fiet, vtrum magis sit narcoticum. Diximus autem Opium ad massam 16. librarum Theriacæ repræsentare sexagesimam quartam partem; & ad omnem drachmam in massam redactam, & fermẽtatam granum vnum, non adeò perfecti põderis referri. Ita apparet quo modo maior sit Opij proportio in Theriaca: nam vbi integra illius pars ad eam assumitur, in Mithridatio tantùm quarta accipitur, & paulò plus.

lò plus. Itaq; Opium in Theriaca quadrupla in proportione est ad Mithridatium; & quemadmodum hoc illam viribus aliorũ simplicium vincit, sic ab hac facultate stupefaciente superatur. Et hoc fuit vnum ex præcipuis alijs omnibus quod Andromachus de Mithridatio in Theriaca mutare voluerit: Nam quantum Mithridates Opij respectu aliorum simplicium posuit, tantum ille adiecit ratione totius massæ: cùm talem ipsius quantitatem exiguam afferre vtilitatem existimaret: & propterea Galenus quoque retulit, Mithridatium esse validius Theriaca ad multorum venenorum curationem, idque ob eam rationem quã diximus: quoniam simplicia alia propter liquida quæ in maiori assumuntur proportione, corpus consequuntur efficax magis, quàm fieri solet in Theriaca: tametsi præterea quoque aliæ sint rationes, quæ paulò post enumerabunt, & Theriacã, idem Galenus dicit, solum in hoc esse præstantiorẽ, quòd morsus viperarum posit sanare: II. lib. de Antid. in principio.

Ex quibus omnibus constat, duas res alicuius momenti Andromachum in Theriaca mutasse, in quibus ab eo quod in Mithridatio reperit, dissensit. Prima est, quòd

plus Opij voluit in proportionem Theriacæ collocare, quàm est in Mithridatio. Altera, quòd liquidorum esset quarta pars respectu ad arida, cùm maior in his proportio sit in Mithridatio: causa verò primi tantùm pertinet ad facultatem compositi, Secundi autem non solùm ad hanc, sed etiam ad consistentiam. Quantumq; ad primum, facilè assentior Andromacho, satis debilẽ esse in hac Antidoto Opij facultatem: Nam cùm moris sit illius drachmam vnam accipere, exigua vel potius eiusmodi qualis vix percipi sensibus potest vtilitas ex vna quarta parte, & paulò plus quàm granum est pro qualibet dosi habetur: non enim quòd Opij maius pōdus assumatur, duplicari quoq; aut triplicari dosis debet, nã cùm Mithridatiũ, vt dictum est, sit efficacius quàm Theriaca, sine corporis nostri iactura manifesta vltra dosin vsitatam vsurpari nequit. Itaque si quis vellet Mithridatium exhibere ad conciliandum somnum, aut stuporem in aliquo dolore sæuo introducẽdum, quemadmodum esset iliacus, colicus, vel similis, non multùm spei collocare posset in tantillo Opio, quod in qualibet dosi continetur. Quare recentiores Medici videntes hac in parte satis debilem Mithridatij facul-

facultatem, solēt coniungere cum illo Philonium Tharsense, aut Persicum, aut Romanum, cum Zazanea, aut alio valido Opiato: Mithridatio alioquin vtentes ad dissoluendos & incidendos humores, & penetrationem in vniuersum corpus, tanquam efficacissimo remedio, adiuuantes ipsius debilem vim narcoticam aliorum medicamentorũ validorũ adiectione: & ita plus illi tribuunt quàm Theriacæ. Quapropter si quis animum attendat, hoc deesse huic Antidoto intelliget, quod sine auxilio aliorum aliquid singulare præstare nequeat. Vnde Andromachus, cuius consilium fuit talem compositionem instituere, quæ per se sola, sine aliorum opera posset contra omnem morbum internum, venenumq́ue qualecunque, siue per os assumtum, seu morsu inflictum, esse efficacissimum, compleretq́ue omnia ea quæ in Mithridatio desiderarent: ita voluit inter alia quantitatem Opij illi adaptare, vt ad quamlibet drachmam totius Antidoti accederet granum vnum, quæ quantitas mediocris & sufficiens fuit ad proprietatis suæ effectum consequendum. Et hoc quantum ad primam mutationem Theriacæ à Mithridatio.

Secunda verò quæ non minus versatur circa facultatem quàm ipsam quoq; massam, erat in proportione rerũ liquidarum cum aridis, vbi Andromachus non sine aliqua præcipua causa succos collocauit non in tertia sed quarta parte: nam hoc modo Antidotus non ita valide calefaciebat & siccabat quemadmodum Mithridatium, sed ad quandam maiorem mediocritatem redacta, sine vehementi alteratione intra corpus assumi poterat: & quia ipsius vsum per integros annos continuare cogitabat, quemadmodũ cum Mithridatio fecit, Rex ipsius inuentor, & nonnulli Imperatores, postea idem de Theriaca periculum fecerunt, securius hac ratione quantum ad manifestas qualitates hac vti quam Mithridatio licebat. Hanc autem caloris & siccitatis diminutionem in Antidoto, facilè existimauit Andromachus se consecuturum esse, si minorem quantitatem succorum acciperet, qui quidem etsi à Melle adiuuantur, nihilo tamen minus propriam quoque virtutem magis quàm ipsum Mel Antidoto impertiunt, qua reliqua trita in puluerem efficaciora redduntur. Quare auferentes aliquid de liquidis, & adiungentes plus Mellis (seruata tamen ex vna parte eadem pro-

portione

portione inter liquida & arida, ex altera cū Melle, quæ obſeruatur in Mithridatio) mitiorem efficiemus manifeſtò qualitatem calidam & ſiccam, vt ita corpus inde nullā agitationem ſentiat: cùm maneat nihilominus eadem vis in occultis proprietatib. quarum ope emendat & expellit omnem putredinem venenatam ex corpore, vndecunque originem traxerit.

Hæcque eſt prima ratio ſecundæ immutationis. Altera maſſam reſpicit, in qua certè facilius & minore labore mediocrē cōſiſtentiam, quantum ad Theriacam, conſequimur quàm fit in Mithridatio, cuius rei teſtem quoque adducere poſſum Imperatum, qui integram eam & omnibus numeris perfectam conſequi, valdè difficile eſſe affirmabat: cùm in Theriaca à Medicis veteribus & expertis omnis Vini & Mellis doſis eſſet expreſsis verbis deſcripta, qui iuberent Mellis decē libras & Vini duos ſextarios eſſe recipiendos. At in Mithridatio non idem vſu venit, nam cùm in illo nulla doſis Vini & Mellis ab antiquis obſeruata fuerit, nec præcepta in Theriaca expoſita omninò nos ſequi poſsimus, neceſſe fuit vtriuſque veram quantitatem rationibus & multa experientia inueſtigare: quod dum

fit, interea multæ difficultates ſeſe offerre ſolent, quarum vna fuit quod propter liquida in maiore proportione aſſumta maſſa quoq; nimis fluida reddebatur, vnde nõnulli docti viri expreſsè prohibuerunt neutiquam ad Mithridatium Vinum eſſe adijciendum, exiſtimantes abſq; eo huic Antidoto poſſe mediocrem naturam maſſæ quæ requirebatur, conciliari.

Credibile verò eſt, ꝙ illis aliquando hoc compoſitũ non benè ſucceſſerit, nimiſque liquidũ remanſerit, & propterea ipſos omnẽ eius rei culpam in Vinũ tranſtuliſſe. Andromachus igitur qui in arte componendi Medicamẽta alios oẽs longè excelluit hoc perſpiciens, exiſtimauit mediocrẽ conſiſtẽtiã, & diu etiam durabilẽ poſſe illi conciliari, ſi hoc pacto liquida ponerentur, vt proportio tripla ad quadruplam reduceretur, vnde quaſi baſim conſiſtentiæ ipſa liquida conſtituens, tot exquiſitè ſumſit, quot in Mithridatio reperit: & oſtendens ſibi proportionem aridorum non probari, ea auxit additione Mellis, & ita reſultat inde ſæpius iam dicta proportio.

Nec dubiũ eſt: ſi Andromachus, qui poſt Mithridatem vixit, exiſtimaſſet iſtam compoſitionẽ planè eſſe omnib. numeris, vt dicitur.

citur, perfectam, non ita postea Theriacam elaborasset. Præterea non existimandū est, mutationem istam solum consistere in viperis adiunctis, & chalcitide, quòd calorem nigrum illi tribuat, sed alia quoq; accedunt non minoris momenti: è quorum numero iam duo explicauimus.

Concludamus itaq;, quamuis in Theriaca videantur quædā esse melius elaborata, nihilo minus tamen Mithridaticā compositionem quoq; non reijciendam esse, cùm ab vnoquoq; industrio & diligenti artifice consistentiam, in hoc quoque Medicamento non minus bonam quàm in Theriaca constitui posse iudicemus.

AN VINVM AD MIthridatium sit accipiendum, nec ne.



CAP. X.

CVM Vini in Mithridatio iam facta sit mentio, de illa controuersia non abs re erit verborū aliquid facere. Nam Damocrates vult, vt cū eo liquabilia dissoluāt, contrà Antipater & Cleophātes id expressè prohibent. Nec facilè est vtriusq; partis rationes

tiones exponere. Nam ex deſcriptione Cleophantis & Antipatri non colligi poteſt, quo pacto ſucci, gummi, & lacrymæ ſint diſſoluenda: qui cùm Vinum non admittant, quod alibi ideò tantum aſſumitur, quo ea ſimplicia quæ ſua natura in puluerem teri nequeunt, ſed potius ſe in laminas dilatant, aut tenaciter mortario adhærent, rectè diſſolui poſſent, quod ſane cùm illis quoque temporibus vnicuique non ita notum erat, oportebat illos modum indicare, cuius auxilio eiuſmodi ſimplicia ad tantam ſubtilitatem redigi poſſent, vt per vniuerſam maſſam diſtribuerentur. Aëtius, qui ſequitur deſcriptionem Antipatri, (quemadmodum ipſe dicit) & Cleophantis, animaduertēs hanc difficultatem, monet ſuccos eſſe diſſoluendos in Melle calido. Valerius Cordus, aut quod non recordaretur eorum quæ legit in Aëtio, aut quia ſua ſponte ab eo diſſentire voluit, vult liquores in Aceto debere diſſolui. Sed neuter huius ſui facti rationem affert. Apud Galenum verò in varijs locis, & præſertim 3. libro de comp. Medic. ſecundum genera cap. 5. inuenimus, liquabilia ſolere diſſolui cū Aqua, Vino, Aceto, vel igne per ſe. Quod in quibuſdam declarans, ait Ammoniacū,
Saga-

Sagapenum, ſuccum Panacis Vino diſſolui: Auxilio verò ignis liqueſcere Propolim, Ceram, Reſinam, Ladanum, Seuum, & Galbanum: quanquam hoc poſtremum ipſe iubeat in vaſe duplici, quod vulgò Balneum Mariæ vocatur, liquari. Alibi cum Oleo diſſoluit liquores, ſicuti ſecundum Heraclidem facit in Ladano, & ſuo more in Ammoniaco lib. 4. de comp. Medic. ſecundum genera cap. 7. vbi vtrumque in Oleo ad ignem reſoluit, & alibi vtrumque prius diſſolutum. Sed talia ad emplaſtra vſurpabantur aut vnguenta, in quibus non tanta diligētia quemadmodum in electuarijs magni adeò momenti requiritur. Apud Dioſcoridem videmus multos ſuccos diſſolui ad potiones nucibus amaris, Ruta, Pane calido aut Anetho, vt eſt ſuccus Peucedani, Laſer, Sagapenum, quod Andromachus ait & aqua, & Melle diſſolui, Galbanum, quod ſeorſim dicit reſolui in forma potabili aqua, nucibus amaris, Ruta, Pane calido, Mulſa, Meconio, ære vſto, aut felle liquido. Glutem, inquit, reſolui Aceto, aut Aqua calida aut Melle. Opopanacem probat eum, qui ſubitò in aquam impoſitus liqueſcit. Solet interdum Galenus (quod poſtea pro generali præ-

si præcepto habitū fuit à recentioribus,& Syluius in suis libris crebrò de eo lectorem admonet)exiccare succos, & deinde vel ꝑ se vel cum alijs multis aridis miscendo in puluerem conterere: facitque hoc in succo Glycyrrhizæ,Thure, Mastiche, & Croco.Iam in adeò diuersis modis Antipater & Cleophantes non debuissent reticere rationem qua existimarent in Mithridatio rectè liquabilia dissolui posse: nam qui per ignem fit non est conueniens,quoniam in multis ita maior pars & præstantior virtutis exhalat. Acetum quoque non caret periculo,cùm inde totum compositum saporem & odorem ingratum contrahat, atque propterea inprimis illa Theriaca tanquam malè parata vituperatur (sicuti suo loco dictum est) quæ acidum saporem habet: quod fieri solet quando in qualitate & quantitate Mellis & Vini vel simul, vel alterutro horum erratum fuerit. Vnde opinio Cordi minimè est probanda.

Quod si secundum Aëtium cum Melle dissoluere voluerimus, statim hîc dubitatio orietur,an istud Mel ad hoc destinatum vltra præscriptā quantitatem, quam in Mithridatio

thridatio constituimus 6. librarum esse, aut de illis ipsis sex libris quantum satis fuerit ad dissoluendos succos sit accipiendum: adiungentes illius reliquam partem tanquam materiam subiectam, qua arida imbuuntur. Atque ex vna parte videtur peculiare Mel accipiendum esse, nam illius quantitas in locum Vini succedet, quo alioqui succi dissoluuntur: eoque non adiecto, necessariò Mel aliud præter illas 6. libras erit assumendum.

Sed hîc rursum de quantitate Mellis dubium incidit: nam etsi ratione & experientia inuestigauimus, Vini esse 20. vncias sumendas, ideoq; ad eam rem tantum quoq; Mellis esse vsurpandum dicere poterimus: cùm Vinũ natura sua satis facilè propter subtilitatem euaporet, Mel autem propter tenacitatem & crasitiem diutius perduret, vnde quęrendum erit de põdere, quãtò scilicet minus Mellis quàm Vini ad hanc rẽ sit accipiendum, cumq; nullum exemplum eiusmodi sese offerat, facilè compositum tale vel liquidum nimis vel aridum reddetur. Præterea iterum ab initio inuestiganda nobis erit proportio aridorum cum liquidis: nec massa exquisitè

decem

decem libris constabit, & ita quasi de nouo ea omnia quæ hucusque disseruimus, alijs rationibus erunt excutienda. Qui sanè labor potius curiositatis quàm vtilitatis aliquid in se continebit: quem tamen si, Antipatri & Cleophantis descriptionem imitari vellemus, fortasse non absque causa suscipere deberemus. At quia potius Damocratem sequendum esse statuimus, qui Vinum adijciendum esse putat, tantis dubijs quæstionibus omissis, de eo aliquid dicamus.

Credibile autem est, Andromachum considerantem varios modos dissoluendi liquida, Vinum tanquam cõuenientissimũ ad suam Theriacam assumsisse: quod etiam Damocrati placuit, cùm quasi omnia liquabilia Vino, non autem Aceto aut Melle, aut Aqua aut Oleo, vel, vt Dioscorides voluit, Ruta, nucibus amaris, aut pane calido dissolui possint. Neque ille facilè errabit, qui Theriacæ hoc loco præparationem ante oculos habebit. Attamen verisimile quoque non est, Cleophãtem & Antipatrum sine aliqua probabili causa Vinum prohibuisse assumi, idq́ue eò magisquòd Aëtius cum illis planè sentiat: ideoq́ue non erit præter rationem de eo etiam

etiam aliquid inueſtigare, quamuis in priore capite quoque aliquid de illo ſit dictum, & nunc hoc ſolùm addendum duximus, aliquem credere poſſe eam ob cauſam hoc ab illis factum, quòd ſicuti difficilè certam menſuram adijcere poſſumus, ita non periculo vacat, ſi eam non fuerimus aſſecuti: nam inde Antidotus fieri poſſet nimis liquida, & ſpecies quaſi maſſæ innatantes, non legitimam fermentationem reciperent, & ita ſequetur totum compoſitum labefactari & admodum debile effici. Ex vini verò nimia paucitate eueniet vt ſucci breui tempore ad priorem ſolitam conſiſtentiam reuertantur, exhalante ſtatim eo quod nimis paucum eſt: & inde quoque fermentatio non æqualiter fieri poterit: ſed quaſi in grummos diuiſa in vno loco arida, in alio gummi conſiſtent, nec vnam formam quam inprimis autorem huius compoſitionis reſpexiſſe diximus, conſequetur. Et hæc quantum ad quantitatem.

Oriuntur autem aliæ quoque difficultates ratione qualitatis. Nam cùm hæc Antidotus ad vtilitatem omnium hominum, non ſolùm vnius regionis vel loci ſit inuenta, neceſſe eſt vt ita quoque præparetur, vt vbique gentium eius vſus ſit com-

modus. At difficilè admodum fuerit tale vinum, quale deſcripſimus in commentario de Theriaca, paſsim inueniri, non enim quilibet Phalernum aut Chium aut ſimilia illius genera habere poteſt: præſertim hoc noſtro tempore, quo nec Phalernum, nec alterius generis vinum reperitur, quod 30. aut 40. vel plures annos durare poſſet: & nihilo minus ſi tale vinum non fuerit, quam primum id mutari in cipit vniuerſam quoque Antidotum corrumpet, & ad quandam quaſi putredinem perducet. Quæ omnia de melle non ita facilè contingent, nam etiam præter id quod bonum & laudabile reperitur, ſemper per ſe ipſum perdurat, neque exhalat aut tranſpirat, inque eodem ſtatu in quo reperit liquida, perpetuò conſeruat, quare cùm non facilè exhalet, doſis ipſius quoque certior conſtitui poteſt: atque eam ob cauſam Aëtius voluit vt cum melle ea diſſoluantur. Quod verò aliqui, (inter quos Cordus eſt) aceto diſſoluunt, de eo non multùm diſputabo, cùm præparatio eiuſmodi potius ad emplaſtra quàm ita celebres Antidotos pertineat: quemadmodum etiam dicendum eſt de diſſolutionibus in oleo vel aqua: Alij enim modi, quos Dioſcorides

des ponit, cùm ruta, nucibus amaris, & pane calente in vsu esse desierunt : nec arbitror de illis quenquam fecisse periculum: omittamus itaq; donec experientia aliquid certius nos doceat : & si quid in hac re adhuc explicationem aliquam requirat, reseruemus ad eum locum vbi de præparatione Mithridatij agetur.

DVBITATIONES *contra Galenum dicentem Mithridatium in nonnullis venenis esse efficacius quàm sit Theriaca.*

CAP. XI.



VANQVAM superius dictum fuerit, Mithridatium habere maiores vires quàm Theriacam, idq;rationibus probabilibus confirmatũ sit, nihilo tamen minus hinc nonnullę dubitationes oriuntur, quę nõ solùm hanc sententiam impugnare poterunt, sed vnde vlterius etiam

addi poſſet, vix omninò opus eſſe Mithridatij compoſitione. Eiuſque rei fundamentum ex Galeno deſumitur. Cùm enim dicat, Theriacam magna ex parte obſcuraſſe famam & efficacitatem Mithridatij: manifeſtum eſt, eam non tantùm ad illa omnia ad quæ Mithridatium vſurpatur, eſſe efficacem: ſed etiam in alijs inſuper affectibus quo Mithridatij actio non pertingit, multum valere, quemadmodum fit in morſu viperarum. Et qui conſilium Andromachi accuratius perpenderit, cùm is Mithridatica compoſitione non contentus exiſtimaret illi aliquid addendum & demendum eſſe, facilè colliget eam in quibuſdam rebus exiſtimaſſe illi adhuc aliquid deeſſe, ac propterea ſtatuiſſe ad quandam aliam perfectionem eſſe reducendam, & eiuſmodi aliquid eſſe Theriacam ab ipſo inuentam putaſſe. Hanc itaque ob cauſam non videtur tantopere æſtimandum eſſe Mithridatium, cùm præterea propter viperarum copiam, quæ facilè nunc haberi poſſunt, non dici poſſit eſſe Theriacæ præparationem magis operoſam quàm Mithridatij, cùm aliàs in præparandi modo parum differant. Ad hæc verò reſpondetur ſecundum doctrinam Galeni, tametſi is quidem
dicat,

dicat, Theriacam fuiſſe in maiore precio quàm Mithridatium, nihilo tamen minus ſi quis rectè perpenderit ea quæ ſcripſit in libro 1. de Antidotis, & in principio ſecundi, ille perſpiciet eius ſententiam eſſe hanc, nimirum, Andromachum additione viperarum efficaciorem quidem feciſſe Antidotum ſuam contra morſus earundem, attamen non propterea validiorem aduerſus alia quæuis venena ac morbos internos. Ad quæ quidem ambo Medicamenta ſunt vtilia: imò Theriaca à Mithridatio ſuperatur.

Vt autem hæc melius intelligantur, ſciendum has celebres Antidotos promittere ſanationem affectuum, qui in triplici ſunt differentia. Quorum primi ſunt, morſus omnium venenatorum animalium, ſiue ſint Serpentes, ſeu Scorpiones, ſiue Canis rabidus, aut alia ſpecies. Secundò, curare omnes differentias venenorum, quæ intra corpus aſſumta ſunt. Tertiò, ſanare vniuerſos affectus interiores corporis, & cuiuſuis membri in illo, vſque etiam ad febres. Ait itaq; Galenus vnam ex his Antidotis alteram ſuperare, & contra quoque ab ea ſuperari: quanquam generaliter vtraque ad eadem mala vtiliter adhibeatur. Theriaca

enim Mithridatium antecellit, quia ad sanandos viperarum morsus plus eo virium habet: contrà in aliis rebus Mithridatium illi minimè cedit, & in nonnullis quoque potentius est: quod in secundo libro de Antidotis ipse explicans dicit contra multa venena Mithridatium esse præstantius Theriaca, vbi tamen intelligit ea quæ per os hauriuntur. Quanquam ita vt plurimum æqualiter adhiberi ad affectus triplices supra enumeratos possint, Theriaca tamen ad viperarum morsus est validior, & Mithridatium efficacius in aliis nonnullis venenis intra corpus assumtis. Atque eam ob causam rectè vel potius necessariò, vtrumque Medicamentum paratur, vt ita vnumquodque ad ea in quibus maximè viribus antecellit alterum vsurpari queat. Quod si ambo pariter interdum non sint in promtu, tum illud confidenter, quod ad manus est, accipiamus, quoniam alterutrum, quanquam non tam valide in quibusdam rebus efficax esse potest.

Etsi autem Andromachus studuit Theriacam meliorem Mithridatio effi-

cere, huiusque existimationem planè obscurare: idque aliqua parte consecutus fuit, tamen non vltra quippiam præstare potuit, quam natura rei passa est: illique hoc contigit, quod de homine accidit, quem cùm Natura ita vt in suis actionibus omnia alia animantia antecellent, formare studeret, hoc quidem assecuta est, ea tamen ratione, vt in vna aliqua actione videamus nonnulla animalia hominem superare: quemadmodum visu Aquila & Lynx, odore exquisito Canis excellit, & sic de reliquis sensibus, sic etiam viribus, non ita præstat vt Leo, agilitate vt Simia, velocitate vt Tigris. At si simul omnes actiones hominis conferantur, cum quocunque iam animalium dicto, mente eum præstantiorem alijs omnibus esse statuendum est: idque ideò accidit, quia propter eam quam habet, temperamenti constitutionem, simul durum & mollem, calidissimum & frigidissimum, iracundum & mitem fabricare non potuit, ex qua temperamenti varietate nascuntur quoque diuersæ actiones & excellentiores: cùm

tamen reſpectu aliorum animalium temperies hominis ſit temperatiſsima, vt eò facilius diuerſas vel etiam contrarias actiones obire poſſet. Idem Andromacho cum ſua Theriaca vſu venit, qui quidem vt plurimùm quod voluit, vt nimirum tanquam ad ſacram anchoram in omnibus morbis ad illam confugeretur, obtinuit, ita tamen vt in quibuſdam actionibus à Mithridatij viribus quoque vinceretur.

Sed ex his alia rurſum dubitatio paulò maioris momenti oritur. Nam ſi verum eſt (quemadmodum certè verum eſſe conſtat) compoſitum Medicamentum vires & facultates ſuas adipiſci à ſimplicibus, ex quibus conficitur, dicendum erit Theriacam non ſolùm in morſibus viperarum eſſe Mithridatio ſuperiorem, ſed etiam in alijs multis inſuper venenis, & affectibus. Quod quidem rationibus quaſi demonſtrantibus facilè probatur. Si enim conſideremus numerum ſimplicium in Theriaca & Mithridatio, maiorem multò reperiemus in illa quàm hoc, ſunt enim 58. abſque melle, vino, & Trociſcis, & prætereà adiungentes illis Scyllam, & Eruum ex Scylliticis, & ex viperinis, viperam, panem, &, ſi placet, anethum & ſal, & de Hedychrois ſimplicia

propria

propria quorum ſunt 19. abſque vino quo in vnum corpus illa rediguntur, vt de tribus Trociſcorum generibus habeamus, inſuper alia 25. ſimplicia, quæ prioribus addita conſtituunt 83. & cum melle & vino vniuerſa compoſitio conſtabit ex 85. At cùm in Hedychrois quædam repetantur, quæ antea in compoſito habentur, quorum ſunt decem, nimirum Myrrha, Coſtus, Crocum, Caſsia, Nardus Indica, Schœnanthos, Amomum, Phu, Folium, Vinum: quibus ablatis remanebunt 75. cùm in iſtis decem ſimplicibus nihil aliud niſi pondus duplicatum obſeruetur. Mithridatium verò ſimplicia continet 47. cui addentes mel & vinum, erunt 49. & inſuper Cyphi, quod habet 13. ſimplicia, & cũ melle & vino 15. quæ adiecta prioribus 49. aſcendent ad 74. ſed ablatis illis, quæ in Cyphi repetantur, & cùm prius quoq; aſsint in cõpoſito, quæ ſunt, Myrrha, Crocũ, Cinamomũ, Nardus Indica, Iuncus odoratus, Terebinthina, Caſsia, Bdellium, mel & vinum, quæ decem ſunt, reſtabunt in vniuerſum 54. vnde patet Mithridatium ſuperari à Theriaca multitudine ſimplicium, viginti & vnius, quæ cùm maiore ex parte ſelectiſs. ſint, partim ad diuerſos morſus ferarum, partim ad venena varia, quæ

d 5 per

per os hauriuntur, partim ad morbos internos, veriſimile eſt Theriacam in his omnibus validiorem eſſe Mithridatio, quare ſententia Galeni ita vix conſiſtere poterit.

Poſſet tamen huic dubitationi aliquis reſpondere, non hîc quantitatem aut maiorem ſimplicium numerum inſpiciendam eſſe, quo Antidotus vna ſit in multis rebus altera validior, ſed potius qualitatem, cùm fieri poſsit, vt tria vel quatuor ſimplicia contra idem venenum valeant, itemq́ue duo poſtea ad duplex genus venenorum & forſitan etiam ad plura: & ſic quanquam Theriaca plura ſimplicia comprædendat, Mithridatium tamen poſſet validius eſſe, & ſanare efficaciter magis multos morbos. Verumtamen viciſsim reſponderi poſſet, diligenter videndum eſſe circa quam rem dubitatio verſetur. Nō enim per hanc ponitur, Mithridatium poſſe certa quædam venena curare, quæ Theriaca non poſsit: Planè enim dubitandum non eſt, vtramque Antidotum eſſe vtilem contra omnia venena nullo excepto. Sed hoc dicitur, Mithridatium in certis quibuſdam veneni ſpeciebus (contra quæ Theriaca quoque vtilis eſt) habere maiores

vires:

vires: quod si ita est, quantò plura simplicia ad vnum scopum diriguntur, tantò ille erit validior, & si Theriaca ad vnumquodque venenum rectè datur, pluraque simplicia in se continent, quæ eius vires augent, erit etiam ad singulas venenorum species potentior quàm est Mithridatium, vbi tamen vt veritas eo magis perspiciatur, videamus in quibus conueniant hæc duo præstantissima Medicamenta, & in quibus discrepent. Mithridatium ex omnibus suis simplicibus, quæ sunt numero 49. exceptis Cyphios Trociscis, quinque tantùm continet, quæ in Theriaca non reperiuntur, nimirum, Piper album, Bdellium, Acorum, Scincos, & Asarum, & de Trociscis Cipheos tria sunt, quæ pariter ad Theriacam non accipiuntur, nimirum, Vua passa, Cyperus, Iuniperus, id est, suæ baccæ: adest quoque Bdellium, sed de eo suprà diximus, illud bis assumi, & ita Mithridatium 8. simplicib. peculiarib. præditum est: reliqua omnia quorũ sunt 47. in vtraq; com positione habentur: Et sunt, Piper longum, Opium, Rosę, Scordium, Opobalsamũ, Cinamomũ, Agaricum, Myrrha, Costus, Crocum, Cassia, Nardus, Schœnanthos, Thus, Dictãnus, Stœchas, Marrubiũ, Petroselinũ, Terebin-

Terebinthina, Zingiber, Polium, Nardus Celtica, Styrax, Meum, Phu, Malabathrum, Gentiana, Gummi, Hypociſtis, Carpobalſamum, Aniſum, Seſeli, Cardamomum, Fœniculum, Acacia, Thlaſpi, Hypericum, Sagapenum, Glycyrrhiza, Caſtoreum, Daucus, Opopanax, Galbanum, Mel, Vinum. Et de Hedychrois, quæ pertinent ad Theriacam, ſumuntur Aſpalathus, Calamus odoratus: quæ duo in Trociſcis Cypheos cùm etiam ſint, Mithridatio quoque aſcribuntur. Hæc igitur omnia ad vtrumq; Medicamentum aſſumuntur, & quantum ad illa planè ambo ſimilia ſunt, & eiuſdem facultatis. Sed Theriaca ſimplicia continent 25. quæ in Mithridatio non reperiuntur, adiectis etiam illis quæ de tribus Trociſcis colliguntur: ſuntque iſta, Iris, Napus, Piper nigrum, Rhaponticum, Calamentham, Quinquefolium, Chamæpytis, Amomum, Chamædrys, Terra Lemnia, Chalcitis, Ammi, Ariſtolochia, Bitumen, Centaurium, Amaracus, Marum, Maſtiche, Xilobalſamum, Scylla, Eruum, Vipera, Anethum, Panis, Sal.

Hinc manifeſtò apparet, ſimplicia iſta, in quibus non conueniunt hæc duo Medicamenta, numero plura eſſe in Theriaca,

vbi ſunt 25. in Mithridatio verò tantùm octo. Quare videtur adhuc concludi poſſe, in nulla re Mithridatium eſſe Theriaca validius. Vtque hæc paulò altius repetamus, examinabimus quoque vires iſtorum 8. ſimplicium quæ tantùm in Mithridatio inueniuntur.

I. De Acoro nulla fit mentio expreſſa apud Dioſcorid. quòd peculiarem facultatem habet contra aliquam veneni ſpeciem, per os ſumtum, quanquam in genere tanquam conuenientiſsimũ ad Antidota & inprimis contra morſus ſerpentum laudetur.

II. Aſarum (nam ita maior pars doctorum Medicorum, & non Arium, vt eſt in Græco, legit) Dioſc. valere contra venena non dicit. Quòd ſi omninò Arium eſſet legendum, quo nomine Arum intelligeretur, ſpecies Dracunculi, neque tamen eius talis facultas reperitur, ſed tantùm tempore Dioſc. dicebatur, qui radice ipſius manus fricaret, eum non morderi à viperis.

III. Scincus peculiarem virtutem nec contra venena, neque venenata quæ ſit notabilis habet, atq; ſolùm Dioſc. ait, ſolitum fuiſſe illum ad Antidota aſſumi: & veriſimile eſt hoc factum propter affectus internos corporis, in quibus vtilis eſt: & videmus

mus 2. libro de Antidotis poni in quibusdam Antidotis antiquorum. Solus Plinius laudat contra venena ſagittarum, de quo infrà in ipſius examine plura.

IIII. Bdellium efficax eſt contra multos morbos internos, & morſus quoque ſerpentum: Quòd autem venenis opituletur, hoc apud Dioſc. non legitur.

V. De Pipere albo refert Dioſc. illum admiſceri iſtis Medicamentis, quæ parantur contra animalia venenata, & quod conſueuerunt ad Antidotos vſurpare.

VI. Vua paſſa ad alia valet quàm contra venena, aut venenata, quorum cauſa Mithridatio admiſcetur.

VII. Cyperus ſecundum Dioſc. vtilis contra Scorpionis punctiones. Quæ quidem res venenata eſt, at nõ venenum quod intra corpus ſumitur.

VIII. Baccæ Iuniperi cõmendantur contra morſus omnium ſerpentum, at inprimis contra viperarum venenum, tam in potu ſumtæ, quàm exterius impoſitæ: idque affirmat quoque Dioſ.

Ex his perſpicuum eſt nullum ex his octo Medicamentis quæ in Theriaca non reperiuntur (excepto illo pauco quod Plinius Scinco attribuit) contra venena vtile eſſe.

esse. Quo pacto igitur Galenum defendemus, qui tradit contra nonnulla venena Mithridatij vires esse maiores quàm Theriacæ? At contra ea simplicia quæ sibi Theriaca sola vendicat, plura venenis aduersantur, quemadmodum est:

I. Napus, cuius semen bibitum (sicuti docet Diosc.) vim veneni frangit, atq; ideò ad Antidotos vsurpatur.

II. Calamenthum quoq; resistit venenis secundum eundem Diosc. si in vino priusquam venenum in corpus peruenerit, fuerit bibitum.

III. Quinquefolium aduersus venena prodest, si succus radicis, vt Diosc. scribit, bibatur.

IIII. Chamæpytis vsus erat in Heraclea Pontica contra Aconitum loco Antidoti, quemadmodum idem Diosc. affirmat.

V. Terra Lemnia non solùm contra venenata animalia est vtilis, sed efficaciss. quoq; ad venena hausta, imò si ante illa assumatur, in causa est, vt subitò per vomitum rursum eijciantur, venena postea ebibita. Quod etiam Diosc. testatur.

VI. Ammi prodest erosionib. vesicæ, quæ à Cantharidibus assumtis ortum traxit, similiter difficultati vrinæ ob eandē causam ortę succurrit.

VII. Ari-

VII. Ariſtolochia tenuis eiuſdem facultatis eſt cum vtraque Ariſtolochia, longa & rotunda, quæ in omnibus venenis, at non venenatis vtiliter vſurpantur.

Ecce ſeptem ſimplicia efficaciſſ. quæ ad Theriacam aſſumuntur, quæ magnis viribus, varijs venenis reſiſtunt, neque in Mithridatio habentur, in quo vix vnum ex illis orto reperire potuimus, quæ contra iſta pugnaret. Iam vellem mihi Galenum aut ſuos diſcipulos dicere, quare tantis viribus præ Theriaca Mithridatium præditum in nonnullis venenis cenſeretur? in quo ſi diligentius verſari, & ſextum librum Dioſc. de varijs differentijs venenorum percurrere voluerimus: reperiemus & alia inſuper ſimplicia Theriacæ propria contra venena, quæ in Mithridatio non extant.

IX. Quemadmodum eſt Piper nigrum, quod Cicutæ medetur: pariter quoque Amomum, quod tam ad Theriacam quàm Hedychroos aſſumitur, eſtque vnum ex illis ſimplicibus, quæ bis accipiuntur, contra eandem Cicutam prodeſt: ſicuti Dioſcor. in capite de Cicuta docet: atque hæc duo quoq; contra Taxum efficacia ſunt: Exhibet etiam Piper ſolùm per ſe Dioſc. illis qui Mandragoram in potu ſumſerunt, itemq;

Meco-

Meconium, & Papauer corniculatum, & ſanguinem taurinum concretum, & ſimiliter qui Lithargyrum, aut Argentum viuum hauſerunt: Amomum verò illis dato per ſe qui toxicum biberunt.

II. Tribuitur quoq; Iridi vis contra Pharicum venenum, hæcque inter ea ſimplicia refertur quæ propriè Theriacæ nec illi cum Mithridatio communia ſunt.

Iubet ſimiliter vt illis qui breui propter fungos comeſtos ſtrangulari poſſent, exhibeatur Ariſtolochia, de qua diximus ſuperius: Eademque datur his qui gypſum in potu ſumſerunt. Calamenthum quoque, cuius ſuprà etiam mentionem fecimus, vtile eſſe vult ad diſſoluendum lac congelatum in ventriculo. Quod ſi hanc diligentiam in illis paucis quæ ſunt in Mithridatio vſurpare vellemus, ex omnibus ſolùm Cyperum reperiemus à Dioſc. commendari contra venenum Ranæ rubetæ bibitum.

Atque his omnibus euidentiſsimis rationibus ſatis probatum eſſe putamus, Theriacam non tantùm in quibuſdam paucis venenis non cedere facultatibus & præſtantiæ Mithridatij, ſed in rebus cunctis quæ tribus iſtis capitibus continentur, &

sæpius iam à nobis sunt commemorata, lon gè superare. Quare Galeni sententia non solùm adhuc manebit incerta: sed etiam statuendum erit, non multùm laborandum de Mithridatio, quando Theriaca vti poßimus, quoniam nihil in ea desideratur, quod Mithridatium promittit, nisi existimemus illis esse conuenientius, qui in frigidis climatibus habitant, vbi viperæ, & alia genera serpentum non reperiuntur. Cui opinioni videtur assentire Iacobus Syluius, cùm tamen hæc ratio meo quidem iudicio non sit magni momenti, nam hoc modo ex illis regionibus excluditur ea Antidotus, quæ tamen in alijs rebus præter quam contra venenata, multò est valiudior quàm Mithridatium.

RESPONDETVR DVbijs propositis, & explicatur quomodo Mithridatium sit potentius quàm Theriaca.

CAP.

CAP. XII.

SVNT profectò tam graues & difficiles obiectiones istæ, vt si autoritas Galeni non obstaret, fortasse in medio ita relinquendæ essent. Cùm verò mihi planè persuasum sit, Galenum non solitum esse affirmare ea quę contra omnem sint rationem, sæpius dedi operam quo pacto hæc rectè explicari possent, quod quidem an consecutus sim nec ne, alij iudicent. Potest autem tripliciter responderi. Primùm, viperam Medicamentum vehementissimum neq; per præparationem nec mistionem tam multorum simplicium deponere ita suas vires, vt earum non bona pars adhuc relinquatur, qua etiam alia simplicia ibidem posita superari queat. Sæpe autem accidere solet, vt scilicet vnum aliquod simplex tanquam dux & vehiculum trahat alia omnia quo velit, quemadmodum in basi omnium Medicamentorum compositorum fieri videmus: quæ basis illa scilicet cuncta præstat, quæ titulus compositi promittit: atque ea consistit interdum in vno tantùm simplici, cui

cætera ceu ministri inseruiant. Sic etiam reliqua simplicia Theriacæ in proprijs facultatibus debiliora redduntur, & tantùm valide sanant viperarum morsus: cùm viperæ tanquam illius basis constituantur, at in alijs morbis, vbi ista similitudo speciei non adest, minus erit Theriaca efficax, Mithridatium verò, in quo nullum simplex ita alijs dominatur, potentius.

Sed rursum responsioni huic obijci potest id, quod antea dixerimus vnam formam simplicem in Theriaca ex omnibus simplicibus constitui, in qua non magis hoc quàm aliud amplius simplex obseruetur: idque si non fiat, Antidotum esse imperfectam. Quare hac responsione omissa, ad aliam veniamus, quæ tamen potius aliorum opinioni quàm nostræ innititur. Nam cùm nonnulli docti Medici, & inter eos Nicolaus autor Antidotarij, voluerint Mithridatium esse minus calidum quàm Theriacam (cuius rei rationes ab ipsis adductas iam non enumerandas esse putaui) inde colligere possemus Mithridatium vtilius in istis venenis adhiberi, quæ sunt erodentia & calidissima, sicuti est Auripigmentum. Sandaracha, Calx, Cantharides, Buprestis, Erucæ Pini, Salamandra: & similia.

Sed

Sed quia nos non ſolùm hac in re Nicolaum non ſequimur, ſed apertè contrariam ſententiam tenemus, & cùm iam anteà probauerimus, Mithridatium eſſe calidius & ſiccius ipſa Theriaca, ideò neque hunc reſpondendi modum ſatis idoneum eſſe ſtatuimus. Nam ſi ita eſſet, dicendum quoque Theriacam etiam validiorem Mithridatio in frigidis venenis, vt Cicuta, Meconio, Hyoſcyamo, Mandragora, & eiuſmodi alijs. Quanquam hoc Galenus neque affirmet nec neget. Nós verò propterea non conſentimus, quia hæc illis quæ in commentario de Theriaca à nobis allata ſunt planè ſunt contraria: ibi enim diximus Theriacam eſſe æqualiter efficacem ad omnia genera venenorum, ſiue frigida ſeu calida ſint.

Quare tandem acquieſcere mihi viſus ſum in hoc tertio reſpondendi modo. Nam cùm in Mithridatio minor ſit numerus ſimplicium quàm in Theriaca, validius auxilium in illis morbis quos curare debent, afferre quoque poterunt. Quoniam in ea doſi quæ per os exhibetur, maior vniuſcuiuſque ſimplicis quantitas præberi poteſt, & quanquam eadem illa quoque in Theriaca aſsint, tamen quia illorum minor ibi quan-

titas accipitur, tam efficacia esse nequeunt. Nam si sumamus drachmam vnam ex aliquo Medicamento ex 40. simplicium composito, certè in hoc pondere maior pars vniuscuiusque de illis 40. adest, quàm si vna drachma sumeretur de composito ex 80. simplicibus. Vt, si exempli causa in drachma vna Theriacæ, inessent Myrrhæ grana quinq;, de eadem in Mithridatij drachma vna inerunt septem, & sic cùm maior fuerit quantitas, maiores quoq; vires habebit in illis morbis quibus Myrrha opitulatur.

At hîc fortè aliquis dubitare posset, quòd etsi maior sit simplicium numerus in Theriaca, posset tamen accidere, vt in vna drachma plus etiam Myrrhæ accipiatur. Verùm hac ratione dicemus, simplicia Mithridatij, considerata proportione vnius ad alteram, potius debere in pleniore pondere quàm deficiente collocari: & si hoc quod diximus, ita sequitur, forte fortuna posito æquali Myrrhæ pondere in vtraque Antidoto, multò facilius accidet, vt sit maius pondus in ea quæ habet minorem numerum Medicamentorum. Imò si benè rem consideremus semper ponetur in vtraque compositione æquale specierum pondus, quoties secundum præcepta tam

hîc

hîc quàm in priore libro exposita proportio obseruatur, vbi diximus in ambabus pro qualibet libra mellis accipi specierum tres vncias. Consistit itaq; adhuc ea ratio quòd in Mithridatium habeat maiores vires quoad singula simplicia pro vnaquaq; ipsius drachma, cùm numerus simplicium in eo sit minor: & æqualis proportio mellis & specierum vbique supponatur. Nam plus Myrrhæ quidem in vna drachma Theriacæ, quæ à Mesue Diatessaron vocatur, & tantùm quatuor simplicia continet, assumi quàm in Theriaca Andromachi aut Mithridatio Damocratis fieri solet, facilè apparet.

Poterit etiam hoc hanc nostram rationem confirmare, quod præter minorem simplicium numerum, Mithridatium quoque validius reddatur propter liquabilia, quemadmodum suprà quoque dictum fuit, quæ vt mellis officio fungantur in maiore proportione assumuntur (constituũt enim tertiam partem) quàm in Theriaca fieri solet, (vbi quarta eorum pars habetur) atq; ideò Antidotum quoq; reddunt efficaciorem. Quod verum esse anteà quidem quantum ad qualitates manifestas scilicet primas ostensum est: sed hoc nihilo

quoque minus ita eſſe in occultis (quod nunc quærimus) oſtendi poteſt : verſantur autem illæ in venenis repellendis. Nam maior quantitas vnius ſimplicis non ſolùm potentius etiam in calefaciendo & ſiccādo, ſed etiam in omnibus ſecundis & tertijs qualitatibus, & ſimul etiam in occultis proprietatibus, in quibus illud commendatur.

Atque inde poſſunt quidam pharmacopœi & Medici, qui parant hæc Medicamenta ſecundum longam & inordinatam deſcriptionem Mithridatij ex Nicolao, perſpicere, nullam inde certam curationis ſpem eſſe concipiendā: præterquam enim quòd liquida & arida pro ſpeciebus habeantur, & vtantur vſitata proportione vnciarum trium in ipſis pro vnaquaque mellis libra, vnde mellis duplo plus accipitur quàm oportet, magnus ille ſimplicium numerus in cauſa eſt vt compoſitum inde admodum debile efficiatur, vt pro ſingulis drachmis habeatur illius in qua virtus eius conſiſtit octaua parte minus quàm in alijs laudabilibus compoſitionibus : atque inter illas planè ſimilitudo eiuſmodi qualis inter Cucurbitam & Ilicem eſſe videtur : illius enim plantæ proceritas ſubita enaſcens nihil habet

bet

bet ſolidi, cùm huius arboris mediocris altitudo ſit admodum firma. Sic etiam ſæpe videmus homines paruæ ſtaturæ plus ſpiritus & roboris, quàm iſti proceri & minimè bene compacti in ſe continere.

Sed reuertentes ad propoſitum, quanquam concedamus Theriacam eſſe factam celebriorem, non tamen Mithridatij vſum planè abijciendum eſſe putemus. Imò plurimùm eſt laudandi Andromachus, qui tametſi facilè intellexerit, quanta experientia Mithridatij Antidotum iam longo tempore commendatum eſſet, tamen conatus eſt aliquid illo adhuc melius inuenire: quod ſi tantùm contra ſerpentes validius reddere cogitaſſet, ſatis fuiſſet forſitan addere illi tantùm viperas. Sed hoc modo potuiſſet Antidoti totius vires mutare, propter illam proportionem mutatam, quæ iam in illis conſpicitur, cuius artificio tanta promittit: atque ideò viſum illi fuit potius adiungere & detrahere nonnulla, & ita multa ratione & admirabili arte Theriaca ab Andromacho exercitatiſsimo in his rebus, fuit inuenta, & compoſitio hæc melior reddita. At propterea Mithridatium non planè repudiandum erit, ſed quoque illud vſurpandum, etiamſi Theriaca quoq;

aſsit, non enim ſolùm tanquam Mithridatium aliquod emēdatum & correctum, ſed etiam veluti Antidotus per ſe & ab illo penitus diuerſa habenda eſt.

Adiungitur poſtremo loco alia inſuper ratio : nam Mithridatium propter minorem ſimplicium numerum facilius paratur, & pauciora ſuccedanea requirit. Nec ſimpliciter accipiendum eſt, quod ſuprà inter dubitationes fuit expoſitum, quòd pari facilitate omnia ſimplicia ad Theriacam & Mithridatium inueniri poſsint: nam etſi forſitan ratione non caret, ſenſui tamen repugnat. Idque verum eſſe is potiſsimùm depręhendet, qui vtramque Antidotum ſuis manibus parare ſtuduerit. Atque ideò ridiculum eſt, quòd Nicolaus, dum inter ſe hæc ambo Medicamenta comparat, Mithridatium eſſe minus calidum & ſiccum quam Theriacam exiſtimet, quia præter rationes allatas videamus in eo eſſe minorem Opij quantitatem quàm ſit in Theriaca, quod tamen potius in cauſa eſt vt calidius reddatur, cùm à frigidis minus. Et hæc quantum ad dubitationes ſatis.

DE PA-

DE PASTILLORVM Cyphi compositione.

CAP. XIII.

TEMPVS est vt aliquid dicamus de præparatione Mithridatij, quod tamen minus conuenienter fieri potest, nisi prius de his pastillis loquamur, qui loco vnius simplicis assumuntur. Erat autem Cyphi olim compositio forma paruarum pillularum facta ex odoratis rebus, quibus in suffumigijs vtebantur Sacerdotes Aegyptij, sicuti scribit Damocrates; & Dioscorides quoque 1. libro, qui etiam addit suo tempore varias illorum fuisse descriptiones, quemadmodum etiam ipsius descriptio longè differt à Damocrate, quam nos exponemus. Desumta autem illa est ex Rufo Medico, tanquam præstantior alijs: quare & nos eam meritò retinere debemus. Non tamen admiratione caret, quòd plures ex recentioribus in multis rebus variantem proponant, cùm nihilo minus dicam se ex Damocrate illam collegisse.

giſſe. Inter alios Iacobus Syluius, doctiſsimus vir, Myrrhæ & Schœnanthi ſingulorum ponit 12. drachmas, & Cinamomi 4. In Damocrate verò legimus hæc tria eiuſdem ponderis eſſe cum Vua paſſa & Terebinthina: quorum ſingulorum habentur drachmæ 24. Addit præterea Calami odorati drachmas 3. cùm Damocrates nouem habeat: in alijs verò conueniunt. Valerius Cordus idem planè ſentit cum Syluio, niſi in Calamo odorato, cuius 9. drachmas, ſicuti par eſt, accipit. At poſtea vnum inſuper aliud ſimplex adiungit, quod tamen locum ibi non habet: eſtque Vnguis odorata à Græcis Onyx dicta, & à barbaris Blatta Byzantia; deceptus à Bdellio, de quo ait Damocrates debere Vngues accipi, id eſt illam partem quæ reliquo eſt purior, & ſimilitudinem refert vnguium humanorum, aut illud Bdellium tanquam præſtantius eſſe eligendum, in cuius parte interiore venæ quædam albicantes inſtar vnguium ſplendent, ob quam cauſam Græci vocarunt Onychite.

Aëtius ſuo Mithridatio addit quandam compoſitionem Cyphi diuerſam quoque ab illa altera Damocratis, qui ſimiliter vnguem odoratam adijcit: quare veriſimile eſt

le est hàc in parte Cordum esse ipsum secutum. Sed quòd Aëtius quoque eodem modo hac similitudine fuerit deceptus, ex 13. libro patet: cùm enim paulò ante duas alias compositiones proposuisset, quarum vna 30. simplicia, altera 28. complectitur: quas easdem Aegineta quoque 7. libro recenset, vnam vocans Solarem & maiorem, alteram Lunarem, id est, minorem. Aëtij descriptionem multi secuti sunt, & memini etiam Fallopium Medicum & Anatomicum doctissimum nobis Patauini collegij descriptionem misisse, quæ planè conueniebat cum Cordi sententia, nisi quòd illud de vnguibus odoratis emendauerant. Idque etiam in alijs descriptionibus quas ab amicis diuersis tanquam meliores collegimus, contigit. Apparent autem ex versibus Damocratis hæc omnia multò euidentius: quare ipsos ex vltima editione Galeni ascribendos esse duximus.

Passam & albam sumunt & pinguißimam:
Corticem demunt, eximunt vinacea.
Pulpæ contusæ & subactæ diu.
Drachmas accipiunt quatuor bis decem,
Exustæ Therebinthinæ pondus idem.
Addunt & Myrrhæ & Cinamomi & Iunci
Rotundi tantùm, sed vnam ponunt Croci,

Tres

Tres vnguium Bdellij, Aſpalathi duas ſemis,
Tres Spicæ Nardi, tres Caßiæ bonæ,
Tres lecti Cyperi: baccas Iuniperi quibus
Adiungunt æquas pingues & magnas legunt.
Accedit drachmis Calamus fragrans nouem,
Mellis quod ſufficit, & Vini prorſus parum.

Quæ nos proſa oratione ſic deſcribemus:

Vuæ paſſæ pinguis, abſq; corticibus, & ſeminibus opt. tritæ & contuſæ. } Singulor. dra. xxiiij.
Terebinthinæ toſtæ.
Myrrhæ.
Cinamomi.
Iunci odorati.
Croci, drach. j.
Vnguium Bdellij, drach. iij.
Aſpalathi, drach. ij. ß.
Spicæ Nardi. } Singulor. drach. iij.
Caſsiæ bonæ.
Cyperi.
Baccarum Iuniperi maioris, pingues.
Calami odorati. drach. ix.
Mellis quantum ſatis eſt: & parum Vini.

Bdellium & Myrrha diſſoluuntur in mortario cum vino, donec acquirant conſiſtentiam mellis liquidi, deinde adijcitur mel, poſtea caro Vuæ paſſæ, & vltimo loco reliqua

reliqua omnia benè puluerisata, & fiunt Trocisci parui.

Terebinthinæ vrendæ modum, qui etiam in alijs omnibus resinis obseruatur, tradit Diosc. & Aëtius quoq; non multùm diuersum à priore, quorum vestigia recentiores omnes sequuntur. Sumitur olla vel aliud vas idoneum, quod quadruplo sit capacius quàm humor qui debet infundi. Imponitur deinde Terebinthina & vna cum ipsa duplum Aquæ pluuialis, & ad ignem lentum ex carbonibus accensum mouetur & agitatur crebrò Terebinthina, ac tamdiu coquitur donec odore suo deposito fiat friabilis & digitis in puluerem conteri possit. Deinde in vas fictile seponitur non vitro obductum, & si voluerimus fieri candidissimum prius liquefacta colatur. Hunc modum Dioscorides ita describit, cui alterum quoq; sed valdè difficilem & laboriosum adiungit: sed nos priore poterimus esse contenti. Aëtius fermè eadem dicit, nisi quòd inter coquendum non velit eam agitari, deinde aquæ triplum & plus Terebinthinæ accipit. Quam diuersitatem experientia, quo pacto sit intelligenda, demonstrat. Imperatus enim inter coquendum præcepta

Diosc.

Diosc. obseruabat, & si quando videbatur non probè esse cocta, id est friabilis, sed odorem suum adhuc retinebat & mollitiem, Aëtij doctrinam sequebatur, qui monet, si post aquæ totius consumtionem (nam eo vsque existimat eam esse coquendam) appareat adhuc mollis, & non bene cocta, rursum cũ aquæ maiore copia esse ad ignem reponendam & coquendam donec fiat friabilis. Cordus docet, ad vnam libram Terebinthinæ viginti quatuor libras Aquæ esse accipiendas, quæ proportio longè distet ab ijs quæ Dioscori. & Aëtius scripsere: nec propterea est admittenda. Obseruandum tamen Iulium Martianum Rotam, qui ex Græco in Latinam linguam conuertit libros 2. Gal. de Antidotis, secundum textum Græcum quem fortè habuit, ita vertisse descriptionem Cypheos, quemadmodum iam exposuimus. Sed posteà diligentius contextum Græcorum verborum inspiciens, idque in diuersis editionibus, reperi in illius non quidem simplicibus, sed ponderibus, haud exiguam diuersitatem, vt in multis cum descriptione Cordi conueniat, quanquam non planè eadem sit. Et in exemplis Galeni parua forma impressis reperitur eadem cum Græco textu

textu conuersio, quæ mihi quoque videtur alijs esse emendatior, cuius latinam descriptionem addam: suadeo eam ad Mithridatij compositionem esse vsurpandam, quod semper Ferdinandus Imperatus quoque obseruandum sibi proposuit. Sunt itaque versus Damocratis eiusmodi:

Albam passam capis vuam pinguißimam,
Et corticem semenq; totum huic eximis,
Carnem ipsius perleuigatam insigniter,
Bis duodecim constituunt drachmis atticis,
Terebinthinæ Crematæ ponunt totidem,
Myrrhaq; duodecim, Cinamomi quatuor,
Iunci rotundi duodecim, vnam sed Croci,
At vnguium Bdellij tres, Aspalathi duas
Semis, Spicæ nardi tres, Caßiæ tres bonæ,
Et Cyperi tres, nec non & pinguium,
Et grandium baccarum Iuniperi sint tres:
Odori Calami drachmæ sint nouem,
Mellis modicum, Vini pauxillum quoq;.

Hæc in prosa oratione ita exponentur.

Vuæ passæ albæ, & pinguissimæ, sine corticibus & seminibus. Terebinthinæ vstæ. } Singul. dr. xxiiij.

 Myrrhæ,

Myrrhæ, drach.xij.
Cinamomi, drach.iiij.
Schœnanthi, drac. xij.
Croci, drach.j.
Vnguium Bdellij, drach.iij.
Aſpalathi, drach.ij.ß.

Spicæ Nardi, Caſsiæ bonę, Cyperi, Baccarũ Iuniperi grãdiſsimarũ,	Singul. drach.iij.

Calami Aromatici, drach. xj.

Mellis, Vini.	Singul. parum.

Hæc deſcriptio planè nihil differt ab ea quàm Cordus propoſuit, niſi vbi de Vngue odorata errauit. Vnde conijci poteſt eum quoq; habuiſſe ſimilia exempla Græca, qualia ego vidi: eamq́ue ob rem altera relicta hanc retinere debemus.

Hi Trociſci, quanquam primùm non in eũ finem vt morbos curarent, ſed tantùm ad ſuffitus ſacrificiorũ fuerint reperti, nihilo minus tamen Medicis doctis viſum fuit ad vſum Medicũ quoq; illos transferre, feliciterq́; multis Antidotis admiſcuerũt. Quã quam Andromachus ad Theriacam non voluerit

voluerit adhibere, idq; fortasse eam ob causam, ne tam celebri Antidoto alia compositio, quæ non morborum curationem respicit, adderetur: atq; ideò ipsorũ loco Hedychroos assumsit, in quib. multa simplicia reperiuntur, quæ etiã cõtinet Trocisci Cypheos, plura etiã magis aromatica habent, quorũ ratione Trocisci fiunt prę̃stantiores. Nõ tamen eã ob causam negandũ est, compositionẽ Cyphi esse quoq; laudabilẽ, & ad hanc Antidotũ non vtiliter vsurpari posse. Quantum itaq; ad artificium componendi attinet, liquidorum omnium sunt vnciæ quinque, constantque ex 4. simplicibus Vua passa, Myrrha, Croco & Bdellio. Aridorũ verò sunt 8. vnciæ, absq; dimidia, & complectunt̃ nouẽ simplicia, nimirũ Terebinthinã, Cinamomũ, Schœnanthum, Aspalathũ, Nardũ, Casiã, Cyperũ, Baccas Iuniperi, & Calamũ Aromaticũ. Et ita erunt 13. vniuersa, quæ vncias totidem conficiunt: In numero itaque & pondere ęqualitas seruatur. Quantum verò ad proportionẽ Terebinthina recensetur inter arida: nam ideò coquitur vt reddatur friabilis. Vua etiã passa optimè contusa consistentiã mellis assequit̃, atq; propterea quoq; inter liquabilia numeratur: Hæc ex præparatiõe horũ Tro-
 ciscorum,

ciſcorum ſecundum Damocratem intelligũtur. Nam Vino Myrrhã & Bdelliũ diſſoluit, donec mellis conſiſtentiã acquirant, & puluerib. addit Terebinthinã: Vuã paſſam verò poſt ipſum mel adijcit: cùm ipſa quaſi materia ad recipiendos pulueres habentur. Conſilium autem fuit autoris vniuerſum pondus vnius libræ & dimidiæ efficere: nam ad diſſoluendas drachmas 15. Myrrhæ & Bdellij, requirebantur totidẽ drachmæ Vini: addita etiam ad Croci drachmam altera Vini, quæ ſimul efficiunt vnciam vnam & dimidiam. Et quanquam Crocus ſecundum Damocratis præcepta non in Vino diſſoluatur, nihilominus neceſſe eſt, vt tanquam diſſolubile cum eo in maſſam redigatur: tametſi ſi quis cum alijs duobus quoque illud Vino impoſuerit, non errauerit, ſed duplum Vini accipitur, propter illius partem, quæ exhalare ſolet, ſicuti aliquoties iam dictum eſt, eruntque illius tres vnciæ, vltra id, quod Vuæ paſſæ etiam inter tundendum nonnihil exiccentur, Mellis erunt 4. vnciæ: Et ita omnia liquida vnà cum melle, quæ omnia inſtar materiæ ſubiectæ arida in ſe recipiunt, conſtituent vnam libram integram. Aridorum verò vnciæ octo minus dimidia

dimidia drachma erunt. Hæcque omnia simul sumta ad 20. vncias ascendunt, quæ propter euaporationem Mellis ac Vini & aliorum simplicium redigentur ad vncias 18. post fermentationem, & eorum exiccationem: idque pondus autor sibi proposuerat. Proportio itaque Aridorum & Mellis, (sub Melle secundum cõsuetudinem nostram compræhendentes omnia liquida quæ illius officio fungi possunt) erit 12. ad 8. quæ est vna pars aridorum aduersus vnam & dimidiam partem liquidorum, estque legitima proportio ad massam duriorem constituendam quemadmodum solet esse Trociscorum: nam ad consistentiam Antidotorum mollium quadruplum liquidorum accipitur.

Inde igitur vnusquisque facilè intelliget, hos Trociscos singulari arte, & non casu aliquo ita esse compositos. De quibus cùm satis multum deseruimus, addamus quædam de modo redigendi ipsos in vnam massam. Vbi Damocrates Vinum, Myrrham, & Bdellium simul terit, (quibus ego Crocum adiungerem) in mortario donec mellis liquidioris crassitiem acquirãt: deinde additur mel, post illud Vua passa, & vltimo loco species in subtilem pul-

uerem tritæ, pillulæq; vel paſtilli parui formantur. Aëtius in Vino etiam Terebinthinam terit.

Animaduertendum quoque id quod in fine huius deſcriptionis dicitur, nonnullos deficiente Cinamomo illius loco ſumſiſſe tantundem ſeminis Cardamomi. Sed hoc ſuccedaneum ad vſum Medicum non eſt conueniens, quemadmodum patet ex rationibus in priore libro expoſitis, vbi de regulis ſubſtituendorum ſimplicium ſumus locuti: item ex proprio capite de Cinamomo, cùm ſit notabilis inter hæc duo diuerſitas. At in his paſtillis ad fumigia ſacrificiorum primùm repertis, non ita multum referre videbatur, ſi vna res Aromatica acciperetur pro altera, quamuis inter ſe nonnihil differrent. Quod tamen tanquam regula generalis in alijs Medicamentorum ſubſtitutionibus non eſt vſurpanda.

ADMO-

ADMONITIO DE Therebinthina, quæ ad Trociscos Cypheos assumitur.

CAP. XIIII.



DICENDVM nunc aliquid de simplicibus quæ in hisce Trociscis miscentur, quorum primum occurrit Terebinthina, de qua satis superq; disputauimus in Theriaca: Damocrates accipit vstam: At Syluius fortassis non sine ratione existimans hoc modo multum de sua virtute deperdi, putauit legendum esse, quemadmodum Dioscorides in sua descriptione Cypheos ponit, non vstæ sed depuratæ: vt in loco Græcæ dictionis κεκαυμένης reponeretur ἀποκεκαθαρμένης. i. purgatæ. Sed ex vltimis verbis Damocratis colligi potest, ipsius consiliũ fuisse adijcere vstam Terebinthinam, quia recenset ipsam inter ea quæ in puluerem teruntur, vnde Vino Bdellium tantùm & Myrrham dissol-

uit. Eſtque Dioſcoridis deſcriptio longè diuerſa à Damocratea, & rectè dicit expurgatam, quia poſtea Terebinthinam liquefactam per ſe addit. Sed autor huius deſcriptionis qui fuit Ruffus, voluit vſtam eſſe, id eſt, ad tantam ariditatem redactam, vt facilè in ſubtiliſsimum puluerem teratur: cùm Dioſcorides ipſe quoque modum vrendi tradat, & dicat eam vtiliter admiſceri Malagmatis odoriferis, acopis, & vnguentorum colorationibus. Quare etiam credibile eſt Galenum in multis locis hanc intellexiſſe, ſi quando ad diuerſos affectus vſurpat reſinam frixam. Accipitur autem vſta vel liquida prout cupimus compoſitionem ſolidiorem aut liquidiorẽ fieri. At vbi liquidæ, partes decem ad mediocrem conſiſtentiam parandam capimus, vix vna vſtæ accipi poteſt. Atq; propterea Gal. ad quoddã Malagma deſcriptũ à Poliarcho ad morbos internos, cap. 5. lib. 8. de Medicamentis ſecundum loca, accipit Terebinthinæ frixæ minam vnam & dimidiam, aut liquidæ tres minas. Statuendum itaq; eſt non mutandã eſſe deſcriptionem, & adhibendam vſtam Terebinthinam: idque autoritate Aëtij quoque, qui ſimiliter talem vſurpat, & modum quoque vrendi docet: quare Imperatus

tus

tus quoque ſemper ad Mithridatij compoſitionem vſtam accipere voluit.

DE VVA PASSA, Bdellio, in Trociſcis Cypheos.

CAP. XV.



ON agamus iam de viribus Vuæ paſſæ, propter quas ad hanc Antidotum fuerint aſſumtæ, ſed dicamus, qualis potiſsimum ſit eligenda. Reperiuntur autem illius plura genera. Sunt enim paruæ & grandes, pingues & duræ, cũ ſeminibus, vel abſque illis, dulces & acerbæ. Quæ verò hoc loco requiruntur, ſint grandes & pingues, nam ſi corticem & ſemina abijcere debemus, & ſolùm caro interior eſt accipienda, difficulter hoc in paruis cõſequi poterimus. Inprimis verò ſint dulces, id eſt factæ ex Vuis dulciſsimis, & non auſteris, non quod Vuæ paſſæ planè omnis aſtrictionis debeant eſſe expertes, nam quamuis maximè dulces ſint, tamen illius

quoque ſunt participes, atque ideò epar & ſtomachum roborant: ſic quoq; in admodum auſteris quædam dulcedo depræhenditur: quod indicat Galenus 2. libro de facultate alimentorum. Attamen quam dulciſsimæ eſſe debent: non quales in locis frigidis & montoſis, ſed calidis & planis, vt in Apulia & ſimilibus reperiuntur. Fiunt autem duplici modo. Nam aut naturaliter exiccantur in propria vite, aut arte quadam, prius in aqua ebullitæ, poſtea ſoli exponuntur. Inter quas tamẽ non eſt magnũ diſcrimen ponendũ, modò ſint carnoſæ & mediocriter ſiccæ: quanquam fatẽdum eſt poſteriores magis eſſe eiuſdem ſubſtantiæ: propter ignis æqualitatem, cùm priores in vite non ita eodem tempore aridæ fieri poſsint.

Sequitur Bdellium, quod ante hæc tempora planè fuit incognitum, atque pro eo vſurpauimus puriorem partem Myrrhæ vulgaris, nunc verò Venetijs bonum & legitimum cognoſci cepit, cùm ante multos annos ſtudio Ferdinandi Imperati ad nos allatum fuiſſet. Eſt autem recens, pingue, & facilè liqueſcit, interius venis albicantibus præditum, quæ repræſentant vngues humanos, ſplendentq; inſtar glutini tauri-

ni taurini: gustu deniq; est amarum. Sæpè etiam idem Imperatus reperit inter grandiores glebas Myrrhæ vulgaris particulas quasdam albas instar vnguium humanorum, habentes omnes notas Bdellij à Dioscoride ipsi ascriptas. Lucidũ enim fuit, colore glutini, & ita amarum, vt quidem non statim in principio, sed paulò post gustanti ob suam amaritudinem coniunctam cũ quadam acrimonia admodum sit ingratum, quod ita validè fauces occupat, & pertinaciter perdurat, vt necesse sit Aqua istũ saporem elui. Hanc igitur speciem olim suspicati sumus esse verum Bdellium, nisi quòd dubitauerimus de ipsius nimia ariditate: quod tamen existimabamus propterea accidisse, quia inter glebas Myrrhæ sordidæ ista parua frustula, vbi facilè exhalare possunt, occultantur. Et profectò validissimum Medicamentum est, longéque superat Myrrham & Bdellium vulgare. Hanc quoque nostram opinionem confirmauit, quòd illa amaritudo excedens cõtrahatur ab ipsius senecta, quod in paruis frustis facilè contingere solet. Galenus enim 6. libr. de simpl. Medicam. ait, recens Bdelliũ esse humidum, & quod inter terẽdum facilè mollescat, inueteratũ verò esse

admo-

admodum amarum, & tendere ad quandam insuper Acrimoniam. Quæ mutatio prorsus in hoc nostro quoque dephræhenditur. Præterea hanc opinionem confirmat, quod obseruetur non statim ista frustula suam amaritudinem prodere, estque in causa eius rei quædam humiditas, qua nō omninò carent. Idq; etiam Galenus docet 8. lib. de simplicibus de Pipere: vbi ait Piper longum mistum habere aliquid humiditatis, partim quia cariem experiatur, partim quòd non statim in principio sed paulò post mordicet: atque insuper ille sapor diutius manet, quàm in maturo: quæ omnia tria signa quoque lacrymæ huic de qua nobis sermo est, inesse conspiciuntur, & his rationibus persuasi putabamus esse verum Bdellium. Sed cùm postea ad manus nostras peruenissent frusta illa grandiora cum omnibus notis Bdellij, quam quidem lacrymam primùm vidimus apud Imperatū, & deinde à Collegio Patauino & alijs multis celebribus ciuitatibus pro vero Bdellio est accepta, nos quoque consentientes tot doctis viris verum Bdellium esse statuimus.

Fallopius in penuria legitimi Bdellij substituebat Ammoniacum Thymiama: quæ

quæ quidem ſubſtitutio mihi plurimùm probatur, quanquam rectius fecerimus, ſi diligenter ipſum verum conquiſiuerimus. Paulus Aegineta ꝓ ipſius ſuccedaneo ponit Sphagnem, id eſt (vt nonnulli interpretantur) muſcum arboreum: quod ſimiliter in ſuccedaneis Galeno aſcriptis apparet. Sed quam ineptè hoc fiat, patet ex illis quæ ſuperiore libro expoſuimus. Alij non ſtuduerunt alterum ſuccedaneum pro Bdellio ꝓponere, putantes, ni fallor, vſitatum eſſe verū, inter quos eſt Syluius & Cordus. Solum Collegium Mantuanum illud pro ſuſpecto habuerunt, quanquam ipſi quoq; permittant vſum vulgaris illius, loco alterius legitimi. Adulterabatur temporib. Dioſc. cum gummi, idq́; depræhendebatur ab exigua ipſius vel nulla penitus amaritudine. Fitq́; etiam hodie adhuc cum gummi, iſta adulteratio, quòd pharmacopœis non adeò peritis facilè imponit, nā videntes ita eſſe lucidū, exiſtimant eſſe perfectiſsimum, vt igitur antiqui verum ita recentiores falſum cum gummi adulterant: quod falſum Myrrhæ ſpeciem eſſe arbitramur, ſicuti in priore libro de Theriaca diximus.

Oſtendimus præterea vngues Bdellij, id eſt, fruſtuli ipſius ita vocata & non odoratas

vngues,

vngues, quemadmodum inter alios Aëtius quoq; voluit, esse accipiendas. Imò 8. lib. de Medicamentis secundum loca in fine vltimi Malagmatis descripti à Damocrate hîc versus legitur:

Et mox Onychis (quod sic vocatur) Bdellij.

Vnde conijciendum, quòd tota illa massa Bdellij purior intelligatur, & ideò quando volebant illius partem pellucidam intelligi, nominabant vngues Bdellij aut lacrymam claram, lucidam, puram, & similia illi Epitheta imponebant.

DE CYPERO, ET IVnipero, simplicibus Cypheos.

CAP. XVI.



SEQVITVR Cyperus, cuius duę sunt species, quarum differentia à radicibus sumitur: nam vna est rotunda, magnitudine, & forma Oliuę: & plures inter se coniunctæ adhærent: altera est longa, sarmētosa, & geniculis plena. Vtraq; odorata, & amara: & reperiuntur ambæ in locis

locis paluſtribus & humidis. Rotundæ magna copia eſt circa Neapolim, & pulcherrimas mihi oſtendit illuſtriſsimus Marchio Triuicenſis collectas in ſuo Luculliano, loco tam magnificis ædificijs ſplendido, quàm herbarum vtilium copia celebri, lõgus quoque plurimus naſcitur in Apuliæ paludibus, radice tam magna, vt eam herbarij in fruſta ſecantes, & cum Pipere acrimoniam quandam illi conciliantes, rubrica cooperiunt, & pro Zingibere vendãt: cùm alij ſine rubrica ita Galangam minorem adulterent. At hæc altera ſpecies neq; à Dioſ. nec Galeno deſcripta eſt, niſi velimus dicere, Dioſc. intellexiſſe eam, quæ ſuo tẽpore ex India afferebatur, quæ ſimilitudinem habebat Zingiberis: quod inde ſuſpicari poſſumus, quòd propter hanc ſimilitudinem harum duarum radicum, noſtri homines quoq; ea Zingiber adulterent. Vbicunque itaque apud Græcos Cyperi fit mentio, rotundus eſt accipiendus, quia lõgus minus illis fuit notus. Debet aũt radix, quæ tantùm in vſu eſt, ponderoſiſsima, dẽſa, fractu difficilis, plena, & aſpera eſſe, odoris grati, cum acrimonia aliqua commiſta, quemadmodum ſecundum Dioſco. erat ea quæ in Cilicia, Syria, & Inſulis Cycladibus

creſcebat.

creſcebat. Altera ſpecies in reliquis ſimilis eſt rotundæ: nam & ipſa folia habet porracea, anguloſa, caulem triangularem, florem & ſemina in ſummitate.

Iuniperis quoq; duplex eſt: maior ſcilicet & minor. Suntque eiuſdem facultatis: vt vnus pro altero ſine diſcrimine vſurpari poſſit. Sunt autem illius multæ partes in Medicina vtiles: quas Galenus calidas & ſiccas in tertio gradu eſſe dicit: exceptis fructibus ſiue baccis, quæ in eodem gradu calidæ ſunt, ſed tantùm ſiccæ in primo. Omiſit autem Dioſcorides vtriuſque deſcriptionem, quoniam ſuis temporibus omnibus erant notæ. Quod etſi hodie quoque de minore fieri ſolet, maior tamen non ab omnibus cognoſcitur. Minor nonnihil Abieti ſimilis eſt, niſi quòd frondes magis ſint acuminatæ, & duræ inſtar ſpinarum: neque ita ordine quaſi pectinatim diſpoſitæ ſunt, ſed magis Cedrum repræſentat, quæ ante paucos annos pro Iunipero habita eſt, & non diu eſt quòd pro Cedro cognoſci cepta eſt. Hæc igitur ſpecies paſſim nota eſt, & apud ruſticos adhuc nomen ſuum retinet.

Maior autem ſatis multùm ab minore differt: nam frondes & ramos planè ſi-

miles

miles sunt Cupresso vel Sabinæ: & si fructus non distinguerent has arbores, vix vna ab altera internosceretur. Baccas verò, vt Diosc. ait, quæ essent instar nucis vel nuculæ, grandes nunquam vidi: sed mediocriter magnas, quę rectè vsurpari poterunt, modò sint plenæ, pingues, & odoratæ. Minor circa Neapolim, & maximè in monte Gargano, vbi cunctæ arbores resiniferæ proueniunt, reperitur. Maior verò in montibus vicinis Pisæ, & prope Brundusium in territorio Tarentino, in quibus locis carbones ex ea pro fabris ferrarijs conficiuntur, & ad ea littora nauiculæ eorum plenæ afferuntur. Et existimarem, si diligentia adhiberetur semper circa minorem, inueniri quoque maiorem. Debent autem alterutrius baccæ ad Cypheos compositionem assumi, modò maiores & pinguiores eligantur. Alia simplicia huius Medicamenti superiore libro in Theriaca examinauimus.

DE PRÆPARATIONE Mithridatij.

CAP. XVII.

PRIVSQVAM simplicia Mithridatij examinaremus, ordo prius requireret, vt de eius præparatione loqueremur. At quoniam ea parum differt ab illis quę in Theriaca docuimus, non opus esse mihi videtur diu in his immorari: Inprimis autem nobis in memoriam reuocanda sunt ista quatuor vasa diuersorũ colorum, in quorum vno imaginabamur esse ea quæ erat trita in puluerem, in altero dissoluta in vino, in tertio eliquata per duplex vas siue Balneum Mariæ, in quarto mel despumatum. Et quemadmodum in illa Antidoto in vino dissoluimus omnes succos, lacrymas, & gummi, ita in hac quoque faciendum erit, Myrrham, Succum Glycyrrhizæ, Hypocistidis, Sagapenum, Opopanacem, Opium, Crocum, & Bdellium macerantes per aliquod temporis spacium in vino, & postea in eodem terentes: quibus si placet, Hypericum quoq; & Thlaspi adiungamus, pro-

propter rationes ibi expositas, & similiter etiam Acaciam: obseruantes circa Thus & Gummi, quæ eo loco monuimus. Trita deinde omnia hæc per setaceum cribrum traijciuntur, vt sordes vniuersæ auferantur. Idq; potius quàm pannum linteum eligentes propter eam commoditatem, quam inde nos cõsequi Imperatus monstrauit. Pariter, vt in Theriaca diximus, omnia arida in subtilissimũ puluerem sunt conterenda, & omne id quod simul contundi potest. Eodẽ tempore tundendum. Agaricus tamen per se solus teritur & per cribrum traijcitur: & postea pondus eius debitum alijs pulverib. admiscetur, qui partim ex radicibus, partim fructibus, partim floribus, partim seminibus, & alijs constant: & inprimis animalculo Scinco. In quib. omnibus primũ hoc obseruatur, vt crebrò inspiciantur, & crebrò cribrentur, ne nimium contundantur ea simplicia quæ hoc non ferunt: aut ea quæ dura sunt, nimis parum terantur: quem modum antea diximus feliciter fuisse ab Imperato obseruatũ. Deinde secundũ consilium Critonis, de quo etiam in Theriaca disseruimus, duo opercula applicanda sunt mortario, quod esse debet si fieri potest ex marmore misto vel porphyretico: adiungendo

ad ea quæ in puluerem rediguntur Troci-
ſcos quoque Cypheos. Tertiò Terebinthi-
na ſeſe offert, quæ in duplici vaſe vel Bal-
neo Mariæ, vt vulgò vocant, diſſoluenda
eſt ſtatim quando alijs admiſceri debet,
cui additur Styrax, & Galbanum, quorum
vtrumque prius piſtillo adiecto pauco mel-
le confringitur. Quartò ſit in promtu mel
benè deſpumatum, quo vniuerſa alia in
vnum corpus erunt reducenda, quorum
iam hæc, iam illa pars imponitur. Et ſic
paulatim ſingula miſcendo, & continuo
validiſsimè ſubigendo vniuerſam maſſam,
reliquam conficiamus, de quo in Theriaca
copioſè locuti ſumus: vbi etiam monui-
mus, Opobalſamo inter agitandum piſtil-
lum eſſe illinendum. His omnibus ritè per-
actis, quinto vel ſeptimo quoque die ad
Solem rurſum tundenda eſt, idque per dies
quadraginta, aut, ſecundum Aëtium, ter-
tio vel quarto quoque die: vaſque poſtea
ſemper benè coopertum teneatur, donec
rurſum ad tundendum redeatur: Eaque in
rem tres horæ ſunt impendendum: Sit-
que illud vas vnicum, non plura, atque il-
lud ſatis amplum, quod non prorſus ad
ſummum impleatur, ſed aliquid ſpacij va-
cui propter tranſpirationem relinquatur.
Quod

Quod ſi hyeme paranda fuerit , plures quàm quadraginta dies ad miſtionem requiruntur. In alijs quæ non ita magni momenti ſunt planè eadem quæ in Theriaca ſunt obſeruanda. In Cyphi quoque, loco Cinamomi duplum Caſsiæ ſumitur, cumque eam ob cauſam proportio nonnihil varietur, paulò plus quàm 7. drachmæ Cypheos accipiuntur, quod etiam in Mithridatij maſſa notandum eſt : Vbi ea omnia ſimplicia quæ in duplo, vel in maiore doſi, quam eſt vſitata propter ſubſtitutionem ſumuntur, tantum plus mellis quoque in proportione eſt adijciendum, quantum illud poſtulabit , quod ad alias ſpecies inſuper adiungitur. Quod ſi aliquis ſecundum Aëtium, qui per gradus hoc facit, præparationem inſtituere voluerit, hoc vnicuique etiam liberum erit: quemadmodum de Theriaca quoque diximus: Præterea non omittendus alius quidã modus parandi Mithridatium, traditus à Galeno 2. lib. de Antidot. cap. 9. vbi deſcriptio proponitur Mithridatij Eupatoris, cum titulo Diaſcinci, quæ compoſitio eadem eſt cum noſtra, quanquam & inſcriptionis nouitas, & in quibuſdam quædam variatio, faciant vt diuerſa appareat. At-

que in hac ſola neque vlla alia, apud Galenum modus præparandi reperitur: quem ideò ſubijcere volui, vt qui vellet vel per omnia, vel ſaltem aliqua ex parte eum ſequi poſſet. Accipiuntur Trociſci Cypheos, Hypociſtis, Sagapenum, Gummi, Opium, Styrax, Opopanax, & infunduntur in vino veteri ſpacio 24. horarum, donec omnia diſſoluantur, & interea alia omnia in puluerem rediguntur, & poſtea additur mel Atticum deſpumatum ad craſsitiem vſque, vltimò Opobalſamum inijcitur & in vaſe argenteo reponitur. Eſtque hic modus ſatis ſimplex & facilis, quo, ſi commodè alij adhiberi non poſſent, rectè aliquis vti queat.

EXCVSATIO AVTORis, quare de quibuſdam rebus ad hanc Antidotum neceſſarijs nihil tractauerit.

CAP.

CAP. XVIII.

MVLTA adhuc ad abſolutam doctrinam de Mithridatio neceſſe eſſet tractare, ſed quoniam de illis in libro priore de Theriaca locuti ſumus, non opus eſt ea hîc rurſum inculcare. Erunt itaq; eadem hic quoque: quæ in Theriaca fuere expoſita aſſumenda. Quare ſcilicet tantus numerus ſimplicium ad hanc compoſitionem accipiatur, & alia ſimilia. Eadem quoq; diligentia, hic atque illic circa delectum ſimplicium, inſtrumentorum, & reliquarum rerum ad præparationem neceſſariarum requiritur. Succedanea inſuper erunt eadem, & ijſdem regulis adhibenda. Quod ſi quid noui huc erit aſſumendum, de eo dicetur ſuo loco. Ad hæc etiam repetenda, quæ antea explicata ſunt de melle & vino, & quod Mithridatiũ quoque, ſicuti nec Theriaca, cum Saccharo debeat in vnã maſſam redigi: item notandum quoq;, quod ſimiliter in alia omni Antidoto eſt faciendũ, nihil eſſe de tota maſſa ante fermentationẽ abſolutã auferendũ, & ſuccedanea, quę in duplo ſumuntur, augere doſin mellis, & eiuſmodi alia, quæ ex primo libro

huc rectè transferri poterunt. In vno tantùm videtur Mithridates, vel eius loco alius quispiam, à Theriacæ compositione discessisse, nimirum cùm in ea Andromachus diligenter quæsiuerit colorem nigrum, & ob eam solam causam Chalcitidem vstam imposuerit, Damocrates & ante ipsum Mithridates non pulchro colori sed vtilitati tantùm in hoc composito attenderunt: cùm tamen color etiam qui non omninò niger est, vt in Theriaca, propter mediocrem tincturam, non sit inconueniens: qui illi propter astringentiam nonnullorum simplicium accedere solet.

RATIO EXPLORANDI, an Mithridatium perfectum sit, nec ne.

CAP. XIX.



IC etiam de signis agendum, vnde Mithridatij compositio esse perfecta depræhendatur. Quod quidem scire non parum refert: Primùm,

mùm, vt ſimus certi de remedio deſtinato inprimis ad præſeruationem cuiuſcunque veneni: vt id à Mithridate quoque aſſumtum nihil propterea illi nocere potuerit. Deinde non ſolùm propter venenorum aſſumtorum, ſed etiam internorum corporis humani morborum curationes, ne fruſtra tempus alioqui perdamus, & interea malum creſcat. Sunt autem quædam notæ, quæ Theriacæ conueniunt, communes ad cognoſcendum quoque Mithridatium eſſe ritè paratum, quarum prima eſt, vt exhibeatur illis qui veneno ſunt infecti, ſiue propter morſus animalium venenatorum, ſiue propter alicuius veneni aſſumtionem: nam ſi omnibus ſuis numeris fuerit perfecta, ſine dubio inde auxilium ſentietur. Quod ſi alicui commodè liceret, poſſet inprimis periculum eius rei facere in ſontibus, & ad vltimum ſupplicium condemnatis: vel eius loco in gallis gallinaceis, quibus primùm à ſerpentibus ictis, poſtea infundendum eſt Mithridatium: Aut, ſecundum Aëtium, Columbæ vel Gallinæ, vel Cani Opium pondere duorum ſcrupulorum eſt exhibendum, & ſtatim poſtea dandum Mithridatium diſſolutum in aliquo liquore ſatis iuſtæ quantitatis. Nam ſi probatiſſimum

fuerit, inde nihil mali istis animalibus accidet. Depræhenditur etiam ipsius bonitas ab ipsa consistentia, quæ non est multùm arida, neque inæqualis & grummorum plena: estque præterea odor eius conueniens istis simplicibus ex quibus constat: non aliquo odore externo infectum, rancidum, vel putidum, aut alioqui impurum, neque alicuius simplicis assumti peculiaris aliquis odor præ alijs emineat: sed cunctorum sit æqualis mistio, & qualitatum omnium par ratio. Idem de sapore intelligendum: nam si gustanti vnum magis quàm alterum simplex occurrat, Mithridatium non laudatur. Præterea sæpè fit amarius, quia Mel nimis coctum, vel vetustius est, aut quod asit aliud quoppiam accidens inconueniens: Interdum acidum fit propter vinum minimè bonum aut purum, atque etiàm eius vetustas reddit Antidotum admodum ingratam & amaram. Hæ omnes notæ sunt Mithridatio cum Theriaca communes. Sciendum autem ea quæ diximus de venenis aut venenatis, quo pacto in illis Mithridatium exploretur, ad ipsius quoque facultates contra diuersa internorum morborum genera esse referenda:

renda: eiuſmodi enim commendatur, quod in illis malis certam & celerem ſalutem afferat.

Eſt inſuper hîc quoque videndum, an illa nota quam Galenus tanquam certiſsimam Theriacæ attribuit, in Mithridatio quoque locum habeat nec ne, quæ in eo conſiſtit, vt ſi exhibito aliquo purgante, ſuperbibatur Mithridatium, Medicamentum, illud nihil euacuet. Vbi inprimis videndum eſt, num hæc facultas Theriacæ inſit ratione alicuius peculiaris ſimplicis, quod quidem in Mithridatio non inueniatur, nam tum procul dubio hæc ratio explorandi Mithridatium erit inutilis. Sed ſi hoc fiat totius compoſitionis, & vniuerſæ Theriacalis maſſæ, in hac quoque proprietate vtrumque Medicamentum conuenient. Nam tametſi in quibuſdam ſimplicibus, quæ in vno aſſunt, in altero verò omittuntur, nonnihil varient, magna tamen ex parte ex ijſdem conficiuntur. Quod ſi quiſpiam exiſtimaret hoc Theriacæ proprium eſſe, propter viperas, ille abſque dubio errabit. A nullo enim Autore probato illis facultas eiuſmodi aſcribitur. Sed potius ideò accipiuntur ſecundum Galenum, vt

The-

Theriaca ad morſus viperæ reddatur validior. Alia verò ſimplicia huius quæ diuerſa ſunt ab illis, ad Mithridatium aſſumtis, viribus non ſunt diſsimilia. Statuendum itaq; hoc, Theriacam præſtare ratione totius maſſæ. Qualitas enim hæc cùm propter ſimplicium virtutes ſit efficaciſsima, breuiſsimi temporis ſpacio partes Medicamenti in quibus vis ſoluendi conſiſtit, diſſoluit: & celeriter admodum hoc præſtat, quod aliàs longiore interpoſita mora calor noſter naturalis præſtaret, qui cùm pedetentim id faciat, quod Antidotus breuiore tempore efficit, interea nonnihil ille quaſi ſuccumbit & ita ſoluens Medicamentum vim ſuam exerere poteſt: quod tandem reſolutis ſuis partibus à purgando deſiſtit. Atque hæc valida actio Antidoti, potius manifeſtæ quàm occultæ proprietati eſt aſcribenda: cùm enim actu ſit calida & admodum penetret, atque diſcutiat ante omnia omnes vapores, propterea omnes flatus quantumuis craſſos, & humores cuiuſcunq; generis aut conſiſtentiæ, moleſtantes corpus, ſubitò diſcutit, & partes ſubtiliores & aëreas Medicamenti ſoluentis ita compeſcit, vt vlterius intra venas penetrandi illi tempus non concedatur, neque partes craſ-

tes craſ-

tes crassiores non diu in corpore hærere permittat. Hæc igitur facultas Theriacæ propria non video quare etiam Mithridatio non debeat attribui: cùm hoc, in manifestis qualitatibus, quemadmodum suprà diximus, superet Theriacam, atq; ideò efficacius contra Medicamenta soluentia esse potest. Idque verum esse experientia comprobari potest.

DE ÆTATE MIthridatij.

CAP. XX.



QVANTVM ad tempus in quo Mithridatium durare possit, & terminum ætatis, & alijs vniuersis, ad hanc tractationem pertinentibus, ea omnia abundè explicauimus superiore libro, vnde ad hunc locũ ea sunt assumenda. Vnum verò notandum, Mithridatium breuiori temporis interuallo omnes partes suæ ætatis complere quàm Theriacam. Idque primum ratione Opij, quod in minore quantitatis proportione hîc quàm in Theriaca

assumi-

assumitur, & ideò ad refrenandam ipsius narcoticam facultatem non tantum temporis in fermentando quantum Theriaca requirit. Deinde quoniam calidius & siccius est Theriaca, ideò intra breuius spacium quoque fermentationem absoluere solet: cùm hinc etiam Opij frigiditas nonnihil imminuatur. His rationibus motus existimo Mithridatij vsum post sextum mensem esse conuenientem, quo tempore non solùm fermentatio erit completa ob vires simplicium quæ hîc in proportione efficaciori quàm in Theriaca ponuntur, sed etiam propter Opium & eandem simplicium qualitatem validam, & ob eius exiguam quantitatem ita deuictam, vt sua narcotica facultas non adeò sit amplius timenda: quare elapso anno tertio, vel ad summum quarto, incipiet quoque fieri debilius. Vbi tamen non negauero post illud quoque tempus ad duodecimum nimirum vsque annum, & fortasis etiam vlterius ad quosdam internos corporis humani morbos vtiliter adhiberi, sed in lethalibus venenis & alijs grauissimis malis à sexto mense vsque ad quartum annum validius erit. Ad hæc, vnusquisque qui hæc leget ipsemet facilè partes ætatis ipsius secundum

cundum regulas de Theriaca expositas conferre poterit: & inde contraria argumenta, quæ ibi dissoluimus, his quoque accommodare. Quod si aliquis ante fermentationem ad affectus periculosissimos vsurpare coactus fuerit Mithridatio. Poterit quidem id facere, quanquam non desint rationes quæ id prohibent, de quibus in priore libro egimus. Vbi quoq; satis apertè docuimus, ante fermentationem si aliquid inde auferatur vires quoque Medicamenti diminui. Quare tametsi hac ratione ad morbos grauissimos quidem plurimum prosit, si nimirum necessitate coacti illam tum accipere cogimur, nihilo tamen minus pars reliqua Antidoti propterea redditur imperfectior, vt in posterum non ita vsus eius certus esse possit, cùm illa simplicia, quæ iam ablata sunt, ad eius absolutam præparationem quoque adesse debuerant, non minus quàm alia quæ remanserunt: cuius rei rationem suo loco pluribus indicauimus.

EXA-

EXAMEN SIMPLI-cium Mithridatij: nimirum Piperis albi, Bdellij, Acori, Asari & Glycyrrhizæ.

CAP. XXI.

RESTAT vt quædam simplicia, quæ antea nondum satis in Theriaca, & insuper in Trociscis Cyphæos declarata fuerunt, nunc explicemus. Quorum primum occurrit Piper album, quod tamen ita notum esse cepit, vt non magna indicatione egeat. Colligitur autem inter nigrum, debetque eligi plenum, sine rugis, album, solidum, odoratum, & subamarum: cùm sit Piper imperfectum, & non omninò maturum: quam amaritudinem postea in arbore propter maturitatem nigrum redditum amittit: simul etiam nigro mordacius esse debet, Hæc enim qualitas propter nimiam exiccationem cùm iam planè matu-

maturuit, quaſi euanuit. Sequitur Bdelliũ, de quo ſatis multa in Trociſcis Cypheos diximus. Vnum hoc loco tamen notandum eſt, Damocratem videri non diſertè affirmare, hoc ad Mithridatium eſſe accipiendum, quia latina verſio ita habet:

Sunt qui par velint Bdellium adijcere.

At cùm poſtea hoc non improbet, apparet illum tacitè id admiſiſſe. Nec abſque ratione de eo dubitatio oritur, quoniam Galenus in principio 2. libri de Antidot. in Mithridatij deſcriptione, quam nonnulli Andromacho attribuunt, non reperitur, quemadmodum nec in altera ibidem deſcripta ſub nomine Antipatri & Cleophantis. Quæ etiam ab Aëtio ſine Bdellio refertur. Sed hæc non ſubtilius inquirentes dicamus, ſatis eſſe quòd hoc gummi propter proportionem aridorum & liquidorum, quemadmodum ſuprà oſtendimus, potius ſit aſſumendum quàm omittendum: cùm alioqui ipſius loco propter proportionem aliud quoddam ſimplex adhibendum eſſet. Quam Galenus difficultatem cernens, ſilentio illam tamen præterit: vnde quoque conijci poteſt, eum tacitè id approbaſſe.

Acorus eſt maior Galanga officinarum, de quo in Trociſcis Hedychrois Theriacæ,

h quando

quando ſermo fuit de Amomo & eius ſuccedaneo Galanga, quam pro vero Acoro ſubſtituimus.

Aſarum quod nos collocauimus in Mithridatij deſcriptione ad Theriacam non aſſumitur, ſed ad Hedychroos, vbi de eo quæ putauimus eſſe neceſſe, diximus. Sed non leuis de eo dubitatio oritur, quod tametſi ferè omnes libri Aſarum ad Mithridatium aſſumendum eſſe velint, tamen in Græco non ἀσάρου ſed ἀρίου, id eſt, Arij legatur. Veruntamē quia nullum extet ſimplex quod ita vocetur, exiſtimarunt textum eſſe mendoſum, & Aſari legendum eſſe. Alij nec hoc nec illud ponunt, quemadmodum Parmenſes, fortaſsis quia in alijs Mithridatij deſcriptionibus neutrum reperiri viderint, ſicuti in Andromachi, & Antipatri atque Cleophantis compoſitionibus apparet. Sed ſi meminerimus eorum quæ ſuprà diſſeruimus, non approbemus hanc licentiam, nam hoc pacto vniuerſæ proportionis ratio labefactabitur, propterea non ſolùm hoc ſimplex omittere noluimus, ſed etiam illius loco vacuum locum Iambici verſus ſupplere ſtuduimus. Cordus pro Ario intelligit Arum herbam notam, quoniam ſit ſpecies Dracunculi, atque vtilis admodum

modum contra venena, quam vulgò serpentariam vocant. Quæ quidem opinio nõ est rationis expers, primò quoniam non multum ipsum textum mutat, deinde propter suas facultates, quæ præter id quod venenis aduersantur, etiam ad multos internos affectus corporis vtiles sunt. Hanc eandem herbam Florentini quoque ad suam compositionem adhibuerũt. Quòd si quis in hoc textu concinnando vellet esse audacior, suspicari posset, legẽdũ esse Irij, id est, Erysemi: quod etiam venenis repugnat, & exigua esset immutatio. Sed quia hæc dictio potius Latina quàm Græca: attamen Græci sæpius alterius linguæ vocabulis vsi fuerint, propterea reponi posset, Eryngij, sed maior esset futura mutatio, vel Tragij, quæ ambo præter alias facultates suas vtilia sunt ad venena & venenata. Sed his omissis, potius Arum acciperem, quanquã secundũ sententiam doctissimorum virorũ Asarum quod etiam retinuimus, magis arrident.

Glycyrrhizæ succus hîc condensatus accipitur, qui eodẽ modo, quemadmodũ in capite de Lycio tradit Dios. extrahitur. Debet autem esse admodum dulcis, cum leui astrictione, recens, & durior, vt si opus fuerit, teri posit.

DE SCINCO.

CAP. XXII.



LTIMVM Medicamẽtũ quod examinandum eſt, Scincus ſeſe offert: cuius ventrẽ Democrates aſſumit, Antipater & Cleophantes lumbos: Dioſcorides verò ad venerea Medicaměta partes circa renes: Plinius reliquam illius & pedes. In qua diuerſitate credendum eſt omnes eius partes quidem eſſe vtiles, ſed nonnullas alijs efficaciores. Dioſcorides non niſi ad venerem excitandam vſurpat, & ait ſæpè ad Antidotos aſſumi, vt videatur velle ob eam facultatem quoque illis miſceri, & ideò exiſtimandum carnes quæ Renes circumdant eſſe huic propoſito vtiliores. Sed quia Plinius ſcribit contra venena ſagittarum, ſi vel antè vel poſteà ſumatur, conferre, conijcere poſſumus potius propter hanc alteram facultatẽ ad Antidotos adhiberi, quod ſi ita eſſet, dubij eſſemus, an ventri illorumq; potius vel lumbis hæc facultas eſſet attribuenda. Nicolaus in ſuo Diaſatyrio caudam, Meſue verò in eodem electuario

caudam vnà cum renibus & ventre accipit: nam vterq; respexit ad seminis copiam augēdam. Quod præstat, quia lumbos corroborat, & spiritus reficit, imò insuper vesicæ debili succurrit. Sed arbitrari debemus, quòd præter hasce facultates in Antidotis requiratur etiam vis contra venena, quā illi ascribit Plinius. Quare meo iudicio is non erraret, qui ventrem & carnes circa lumbos acciperet: quòd si quis tamen ne minimum quidem à sententia Damocratis discedere cogitaret, ventrem solum sumeret.

Affertur autem hodie verus Scincus in magna copia ex Aegypto Alexandriæ, vt de eo dubitare amplius superuacaneum esset. Obseruandum tamen est, quòd in territorio Vicentino aliquot lacus producant animalcula quædā, quæ primo aspectu Scincos repræsentent, quos maior pars Pharmacopolarum in Regno Neapolitano superioribus annis non sine magno errore vsurpauit. Discernitur autem à vero, capite & colore: nam Vicentini sunt capite rotundo, & in superiore parte nigricantes, caudam habentes vt anguillæ longiorem. Cōtra verò caput est oblongum, & in spinæ superficie à capite ad caudam vsq; exten-

ditur linea coloris Ceſij, caudaque rotunda eſt, quemadmodum lacertæ. De quo Matthiolus copioſè hæc tractans, conſulendus eſt. Hoc vnum tamen adijciendum, afferri quoque ad nos quandam Scinci ſpeciem planè ſimilem priori, niſi quod lineam illam in ſpina non habeat, ſed alternæ maculæ colore nigricante & ſubluteo per totum dorſum præditæ apparent, & altero eſt maior atque elegantior. Quem pro vero Scinco habeo, nec differt, niſi in paucis notis à deſcriptione Matthioli: iſque ſimiliter Alexandria Venetias apportatur.

DE OPIO.

CAP. XXIII.

RELIQVA ſimplicia cùm in Theriaca ſint explicata, non opus eſt de illis hîc iterum prolixius tractare. Relinquitur tantùm de Opio quoddã dubium, an aſſumenda ſit lacryma, quemadmodum videtur in Theriaca faciendum eſſe, aut potius ipſius ſuccus arte per expreſſionem vel coctionem paratus: qui quidem

no

non ita efficax eſt, & Meconium vocatur, ſicuti primo loco diximus. Et certè quantũ ex verbis Damocratis colligitur, Meconium erit accipiendũ, cùm manifeſtè dicat: (Et Opij, quod Meconium vocant.)

Vnde videtur lacrymam excludere, quã tamen tantopere Dioſcorides & alij Medici commendant. Cùm verò hoc ſimplex maximi ſit momenti, diligenter conſiderãdum eſt, qua ratione poſthabita lacryma Meconium potius Mithridatio ſit miſcendum. Quæ ſanè dum ego perpendo, nulla tamen ratio quæ mihi penitus ſatisfaceret, occurrit. Cùm manifeſtum ſit in omnibus Antidotis oportere nos eiuſmodi Medicamenta, quæ ſint perfectiſsima, & ita præparata, vt inde compoſitio validior reddi poſſit, adhibere. Fieri itaque potuit, quòd iſta appendix ob verſum complendum, nõ autem propter declarationẽ quale Opiũ accipi debeat, fuerit addita. Quare ſi ipſa lacryma, quæ ſua ſponte ex capitibus, prius inciſis papaueris reſudat haberi poterit, non multum ſoliciti erimus de Meconio.

Reliqua de Opio dicenda exposuimus ſuperiori libro.

DE VIRIBVS Mithridatij.

CAP. XXIIII.



ON necesse est vt hoc loco quoque simus longiores in recensendis facultatibus Mithridatij, cùm illæ ex Theriaca magna ex parte colligi possint, & inprimis in ratione exhibẽdi, & dosi nullum sit interea discrimen. Reuocabit tamen sibi lector diligenter in memoriam, quod Galenus 2. de Antid. scriptum reliquit, nimirũ Mithridaticam compositionem in multis venenis esse præstantiorem ipsa Theriaca, hancque solum in morsibus viperæ esse validiorem, cuius rei rationes suprà allatæ sunt. Ac propterea inscriptio Mithridaticæ compositionis in libris Andromachi fuit talis. Antidotus Mithridatica inprimis optima est ad omnia venena, & efficacissima in vniuersis interioribus affectibus corporis humani. Quibus breuissimis verbis omnia compræhenduntur, quæ nos in priore libro copiosè exposuimus: quanquam Mithridatium felice suc-

cessu quoque ad morsus viperæ adhibeatur. Gal. 9. cap. eiusdem 2. libri de Antid. idẽ Mithridatium quod Diascincum nominat, describens, sequẽtes proprietates illi ascribit. Valet contra venena, & ad quamuis aliam rem quæ sua qualitate venenata mortẽ inferre potest, pariter ad vniuersos morsus cuiuscunque animalis venenati. Præterea ad omnes internos morbos corporis, potissimum verò sterilitati succurrit, menstrua ciet, fœtũ mortuum expellit, & retẽtas secundinas expurgat, febres periodicas sanat, atque tremorem qui inde oritur aufert, curat dolorem coxendicis quãdo versus scapulas malum ascendit, Podagris opitulatur, & alias affectiones neruosas, quæ mihi quasi Epitome videtur earum facultatum, quæ Theriacæ quoque ascribuntur. Aëtius verò præterea addit dosin & modũ vtendi: scribit enim ad summum magnitudine vnius Nucis Ponticæ Mithridatiũ exhiberi: ideoque illis qui sunt in consistente ætate quantitate fabæ Græcæ, datur magis vel minus pro ratione annorum. Febrientibus cum Aqua aut Hydromelle, non febrientibus verò cum Vino aut Vino mulso aut condito, potissimum quando epar est frigidius. Ideoq́ue prodest ad flexiones

inueteratas ventriculi & thoracis, & ad omnes exulcerationes antiquas & internas, itemq́ue abſceſſus interiores: pariter vtilis eſt Phthiſicis, & inflationibus ventris, & fluxionibus à debilitate ventriculi ortum habentibus: appetentiam deperditam instaurat, caloremq́ue laudabilem corpori conciliat: Lapidem rumpit, & difficultatem vrinæ curat, & impedit ne atra bilis in corpore nimia colligatur, & eijcit ex vtero fœtum mortuum. Viſum quoq; qui illo crebrò vtuntur, acuit. Sed efficaciſsimum eſt remedium cõtra vim deleteriam venenorum, inprimis ſi illud ante ea exhibeatur, nam ita veneni noxam planè impedit, & huius rei cauſa inprimis fuit à Mithridate compoſita. Hæc Aëtius tradit, quæ ſi cum illis, quæ ex Galeno collegimus, coniungantur, Catalogum omnium facultatum huius Antidoti habebimus, nec opus erit ordine eas omnes, quemadmodum in Theriaca fecimus, exponere.

BREVIS

BREVIS ENVMEratio & Epilogus eorum quæ iam dicta sunt.

CAP. XXV.



VANQVAM magna ex parte hæc Epilogi enumeratio similis sit priori quàm Theriacæ annectere placuit, tamē cùm hi duo libri seorsim possent considerari, vtque labori legentium hîc quoque consulerem, seorsim etiam de his tractandum esse putaui.

I. CLASSIS.

1. Accipitur Myrrhæ, id est, suæ lacrymæ recētis, pinguis, succulentæ, venis in interna parte instar vnguium albicantibus præditæ.	Singul. drach. x.
2. Croci recentis, colorati, nō humidi, aut mucorem habentis, integri, longi, neq; fragilis, odoratissimi, acuti saporis, & non exesi.	

3. Aga-

3. Agarici fœminę, rari, leuis, candidi, friabilis.
4. Zingiberis radicis, acutissimi saporis, odoratissimi, non exesi, albi.
5. Cinamomi, vel illius loco duplæ Cassiæ, cuius cortex sit crassus, fistula verò subtilis, optimo odore & sapore prædita.
6. Spicæ Nardi, id est, eius radicis odoriferæ, recentis, & quæ secum terram odoratam retineat.
7. Thuris, lucidi, integri, rotũdi, albi, pinguis interius, & non adulterati.
8. Thlaspi veri, id est, seminis recẽtis, acutissimi, amari.

Singul. drach. x.

II. CLASSIS.

1. Seseli veri, coloris nigricantis, quod semen Venetijs affertur.
2. Opobalsami, aut illius loco Olei Nucis Muscatæ, factæ per expressionem.

Singul. drac. viij.

3. Iunci

3. Iunci odorati, id eſt, eius cimarum recentium, & odoratiſsimarum.
4. Stœchadis recentis, odoratæ, amaræ & acutæ, ſumãtur frondes, ſpicæ cũ floribus & ramuſculis.
5. Coſti radicis veræ aut illius loco Zedoariæ recentis, non exeſæ, boni odoris.
6. Galbani, id eſt, ſucci ipſius, depurati à granis, odore & ſapore ingrato, nõ lignoſi, cui ſint commiſta aliquot ſemina ex propria ferula, neque liqueſcat ſine igne, debetq; optimè purgari.
7. Terebinthinæ legitimæ & veræ.
8. Piperis longi, integri, duri, non exeſi, acutiſsimi ſaporis, boni odoris, non adulterati.
9. Caſtorei Pontici, non falſi, grauiſsimi odoris, ſaporis acuti, reſinoſi, fragilis, cuius teſticuli ab vno principio exorti ſint.

Singul. drac. viij.

10. Succci Hypociſtidos veri, non miſti, vera ratione extracti.
11. Styracis gummi & non furfurum, quod pingue ſit, reſinoſum, albicanum, odoratiſsimum.
12. Opopanacis, ſucci non adulterati, pinguis, frangibilis, grauis odoris, leuis, amariſsimi, qui Aqua facilè diſſoluatur.
13. Folij Malabathri, vel ſuo loco radicis, aut ſtipitum Nardi Celtici, aut radicis Phu, aut Spicæ Nardi, cum tertia inſuper eius parte.

Singul. drac. viij.

III. CLASSIS.

1. Caſsiæ nigræ cum ſignis indicatis in Cinamomo.
2. Polij, id eſt, ſuarum cimarum cum floribus, ſeminibus, & folijs perfecti

Singul. drac. vij.

odoris, & collecti ex montibus saxosis.

3. Piperis albi, pleni, sine rugis, odorati, & solidi, amarescentis, & acerrimi saporis.

4. Scordij, id est, suarum frondium, florum & seminum, ex siccis locis desumti.

5. Seminis Dauci Cretici, recentis, odorati, & legitimi.

6. Carpobalsami aut illius loco Cubebarum vulgariũ, in siliquis existentium.

7. Cypheos, de cuius simplicibus paulò post loquemur.

8. Bdellij, recentis, amari, pinguis, pellucidi instar glutini taurini, quod facilè liquescat, similéque sit vngui humano, atque accensum spiret gratum odorem, non adulteratum cum gummi. Eo deficiente accipiatur Ammoniacum Thymiama.

Singul. drac. vij.

IIII. CLASSIS.

1. Nardi Celtici purgati, id eſt, ſuarum radicum & ſtipitum recentium, odoratiſsimarum, quod plures habent radices, duras & plenas.
2 Gummi Arabici, pellucidi & ſine ſordibus.
3. Petroſelini, id eſt, ſeminum recentium, odoratorum amarorum & acrium: ſitq; legitimum.
4 Meconij, vel poti' Opij collecti, vt lacrymæ ſolẽt colligi, non per expreſsionem facti, vel decoctionem: ſitque graue, denſum, amarum, purum & diſſolubile.
5. Cardamomi, id eſt, minoris vel medij: ſemina ſint recentia, odorata, & acri ſapore prædita.
6. Seminum Fœniculi, æqualium, plenorum, odoratorum, & ſaporis acris.

} Singul. dr. v. boni ponderis.

7. Gentianæ, id eſt, radicis plenæ, denſæ, amariſsimę, collectæ ex montib. aridis.
8. Frondium roſarum, quæ habeant quinque frondes, purgatarum, non mucidarum.
9. Dictamni Cretici, id eſt, frondium recentium, odoratorum, non nimis tenerarum.

} Singulorũ drachmę quinque boni põderis.

V. CLASSIS.

1. Aniſi, ſeminis recentis, pleni, æqualis, odorati, puri, acris ſaporis, dulciſsimi.
2. Aſari, id eſt, radicis recentis, odorati, & ſolidi.
3. Acori, id eſt, galangæ maioris, radicis recentis, odoris boni, & acris ſaporis.
4. Phu, id eſt, radicum odoratiſsimarum, non exeſarũ, & ſolidarum.
5. Sagapeni, ſucci vſitati, minutis granulis, duri, coloris vt Myrrha, puri, ſaporis a-

} Singulorũ drachmæ tres.

oris, exterius ruffeſcentis, interius albi, non adulterati.
6. Succi Glycyrrhizæ recentis, non falſi.
} Singulorũ drachmæ tres.

VI. CLASSIS.

1. Mei Athamantici, id eſt, radicum collectarum ex montibus ſiccis, ponderoſarum, gratiſsimi odoris, non carioſarum, & in vmbra exiccatarum.
2. Acaciæ, id eſt, ipſius ſucci, & ipſo deficiente ſuccus ex Rhu.
3. Ventrum Scinci veri, caudam rotundam habentis, caput oblongius, cũ linea Cæſij coloris per dorſum, aut cum alijs ſignis ſuo loco enumeratis.
4. Seminum Hyperici, id eſt, cimarum cum floribus, ſeminibus & frondibus.
} Singulorũ drachmæ duæ cum dimidia.

Vini quantum ſatis erit ad omnia liquabilia diſſoluenda: ſitq; vetus, quod diu dura-

durauerit, vinoſum, dulce, non auſterum, neque fumoſum, incorruptum, ſemper idem manens, colore flauo, claro, pellucido præditum, non craſſum vel turbidum, odoris aromatici: quale eſt inprimis Maluaticum antiquum, non adulteratum. Pondus legitimum eſt vnciarum viginti, id eſt, libræ vnius & duorum quadrantum: vel eo maius quo duplicatio alicuius ſuccedanei ſpecierum pondera quoque augeret.

Mellis quantum ſatis eſt: ſitque dulciſſimum, acutiſsimum, expers omnis ſaporis externi, colore flauo & lucido præditum: purum, odoratum, vnius formæ, mediocris craſsitiei, tenax, æquale, quod inſtar viſci fila demittat ponderoſum, firmum, collectum initio veris, & de cuius bonitate conſtat, durans, ab apibus factum, vbi plurimum Thymi, Roriſmarini, & aliarum aromaticarum herbarum, calidarum & ſiccarum creſcit, expreſſum ſemel tantùm ex fauis, non ceraginoſum, duorum annorum, neque recentius vel antiquius, quale eſt Sipontinum aut Tarentinum. Quantum ad pondus, accipiuntur ſex libræ, & eo plus, quanto plus requirent ſimplicia duplicata pondere propter ſubſtitutionem aliquam.

TROCISCI CYPHI.

1. Vua paſſa ſit grandis, pinguis, excorticata, è granis mūdata, facta ex vuis dulcibus non auſteris, æqualiter arefacta, benè trita & contuſa, pondere drach. xxiiij.
2. Terebinthinæ veræ, vſtæ ea arte, vt ſuprà expoſuimus, drach. xxiiij.
3. Myrrhæ eiuſmodi, qualem ſuprà deſcripſimus, drach. xij.
4. Cinamomi, vel eius loco Caſsiæ, cum ſignis anteà expoſitis, drach. iiij.
5. Iunci odorati ſuperius deſcripti, drach. xij.
6. Croci prius quoque deſignati.
7. Bdellij, id eſt, vnguium ipſius, ſitque pellucidum quemadmodum gluten, cum ſignis prius dictis.
8. Aſpalathi veri, quod nuper à Collegio Patauino repertum eſt, vel ipſius loco ligni Aloës Rhodij, drach. ij. ß.
9. Spicæ Nardi, vt prius expoſuimus.
10. Caſsiæ, pariter anteà deſcriptæ.
11. Cyperi rotundi, id eſt, radicum quæ ſint denſæ, ponderoſæ admodum, fractu difficiles, plenæ, aſperæ, odore grato præditæ, cum quadam exigua acrimonia.

12. Bac-

12. Baccarum Iuniperi maximarum, pinguium, plenarum & odoratarum, singulorum drach. iij.
13. Calami odorati, id est, suarum radicum, eoque deficiente, vulgaris Calami, aut Agalochi, cum tertia ipsius insuper parte, drach. nouem.
14. Vini parum, quod sit eiusmodi quale iam diximus.
15. Mellis quantum satis erit ad incorporandos pastillos, cum signis anteà expositis.

LIBRI II. DE MITHRIDATIO FINIS.



INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI, DE THERIACA, in quo litera a. primam, b. secundam faciem annotat.

De co-

INDEX SECVNDI LIBRI.

De viri-

FINIS.



FRANCOFORTI AD
MOENVM, EX OFFICINA
HAEREDVM CHRISTIANI
Egenolphi, impensis Adami
Loniceri, Ioannis Cnipij,
Doctorum, & Pauli
Steinmei-
ers.



M. D. LXXVI.

